



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Qvæstio I. In quo consistat Distinctio formaliter?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

plura individua talis speciei, quatenus in eis specifica ratio eodem modo reperitur, quia sufficienter actuatur huiusmodi capacitas una forma talis speciei, & hoc contingit quando individua formae sunt omnino similes, & eiusdem rationis, & habitudinis, quando vero accidentia dissimilia sunt, & varias habent habitudines, tunc unum non sufficit ad replendam capacitatem subiecti, & ideo fieri potest ut in eodem subiecto multiplicentur, donec capacitatem eius omnino repleant, ut potentia intellectiva, quatenus est capax scientiae naturalis Dei, vel hominis sufficienter disponitur in actu primo, una numero scientia metaphysica, vel Philosophica, & ideo iam non manet capax alterius scientiae, similis tamen eadem facultas intellectiva, ut est capax actualis cognitionis hominum, non plene actuatur uno actu, quo Petrum vel Paulum cognoscit, neque una specie intelligibili, & ideo est capax plurium, donec eius facultas sufficienter compleatur, quia illa plura non actuant illam omnino eodem modo: sed in ordine ad diversa; unde evidenter colligitur non provenire per se ex individuatione, quod aliqua accidentia solo numero diversa non possint esse simul in eodem subiecto; nam licet in eo simul essent, ut mirabiliter advertit magnus Suarez, possent optime intelligi distincta numero ratione suarum entitatum, sicut distinguuntur ea, quae simul esse possunt, ut dictum est, vel sicut distinguuntur ea, quae successive insunt eidem subiecto, sed quod aliqua in esse non possint, provenit, ut iam dictum est, ex incapacitate naturae subiecti, & adaequatione quae inter potentiam receptivam eius, & talem actum reperitur: ex quo infero de potentia absoluta non repugnare plura accidentia solo numero differentia, etiam si sint omnino similia, simul poni in eodem subiecto, quia ex individuatione, & distinctione eorum non repugnat, & Deus potest operari in subiectum ultra naturalem capacitatem eius, & si Deus id vellet facere ad ostensionem omnipotentiae suae, non esset omnino superfluum.

26 Ad argumentum secundae sententiae respondeo ex P. Suarez *dispur. 5. sect. 7.* concedendo antecedens, & negando consequentiam, aitque eorum, quae in antecedenti assumuntur causam esse identitatem realem modi cum re, cuius est modus optima solutio, verum omnino non solvit argumentum, quia identitas inter rem, & modum non est proprie identitas, cum inter utrumque mediet distinctio ex natura rei, nos autem respondemus argumento, ut responsum fuit sententiae ratione primae sententiae.

27 Ad confirmationem eodem modo respondeo, nam liceat modus ita dependeat à re cuius est modus, ut nullo modo possit existere sine illa, nihilominus non individuatur ab ipsa; aliud enim est individuari ab aliquo; aliud autem dependere ab illo quomodo cumque, ut ex supra dictis clarissime, ac evidentissime patet; unde licet individuatione modi dependeat à re, res autem non est principium individuationis modi.

DISPUTATIO V.

De natura, & essentia distinctionis.

QVÆSTIO I.

In quo consistat distinctio formaliter.

SECTIO I.

Sententia Adversaria declaratur ac probatur.

P R I M A sententia asserit distinctionem formaliter consistere in negationem identitatis; hæc sententia est Thomistarum, quam sequitur, P. Suarez in *metaph. 1. tom. disp. 7. num. 3. §. Tandem animadvertendum.*

Probatur primo ex Arist. in *Prædicamentis, c. 3. 2* & lib. 5. *metaph. cap. 15.* ubi asserit relationes primi generis in unitate fundari, & diversitate, sic omnes interpretantur, fundari in unitate, vel numero, quia ubi est numerus non est multitudo, ubi autem est multitudo ibi est distinctio, atque divisio: ergo apud Aristotelem, ipsa distinctio, vel diversitas non est relatio, sed præsupponitur ad relationem tanquam fundamentum. Patet consequentia, quia diversitas, vel ipsamet distinctio in communi modo loquendi, vel specialis species distinctionis: sed Aristoteles asserit diversitatem esse fundamentum relationis: ergo talis distinctio seu diversitas non est ipsa relatio intrinsece, & formaliter, cum relatio non sit suum fundamentum.

Confirmatur, relatio ista primi generis, quae fundatur in diversitate est relatio realis distinctionis: ergo hæc secundum Aristotelem non est ipsa distinctio seu diversitas, sed ad distinctionem consequitur, tanquam relatio ad fundamentum suum.

Probatur secundo ratione fundamentali, inter 4 duo entia positiva, quae actu existunt, ut inter Petrum, & Paulum prius intelligitur distinctio, quam relatio prædicamentalis distinctionis: ergo distinctio horum entium positivorum non consistit in ipsa relatione: consequentia evidens est; antecedens probatur manifeste, ideo Petrus respicit Paulum ut quid ab eo distinctum, quia Petrus non est Paulus, sicut enim prius supponitur actio, & agens quam dari possit relatio agentis, & sicut prius effectus productus quam dari possit in eo relatio producti, ita prius intelligitur, quod Petrus non sit Paulus quam possit intelligi Petrus respiciens Paulum ut quid distinctum ab eo; quod probatur, quia Petrus respicit Paulum negando identitatem cum ipso: ergo hæc negatio supponitur ad relationem. Patet consequentia apud te, quia relationem formalem terminandi non ponis relationem, sed absolutum fundamentum, & apud omnes, quia est certissimum rationem formalem primam

Quaest. I. In quo consistat distinctio. 333

praeintelligi ad ipsam relationem, sed quia Petrus non est Paulus tanquam fundandi ratio Petrus respicit Paulum, ut quid distinctum ab eo, & negans identitatem cum ipso: ergo prius intelligitur Petrus distinctus à Paulo per hanc negationem quam intelligatur in eo relatio distinctionis.

5 Confirmatur ex eo precise quod intelligatur unum habere negationem alterius, intelligitur non esse illud: ergo intelligitur, ut quid distinctum ab illo, & per consequens positiva relatio superaddita non constituit formaliter distinctionem, sed supponit.

Tertio hic agimus de ea distinctione, quae sit passio entis inquantum ens; sed haec non potest consistere in positivo sed in negativo: ergo Maior est certa, quia metaphysica scrutatur passiones entis inquantum ens; ergo ea distinctio consideratur in metaphysica, quae est passio entis inquantum ens. Minor patet, quia passio entis inquantum ens, consequitur ad ens inquantum ens, sed relatio realis distinctionis non sequitur ad ens inquantum ens, & distinctio pro negatione identitatis ad ens inquantum ens consequitur: ergo nisi distinctio ponatur in negativo, non poterit esse passio entis inquantum ens: minor probatur primo, ens inquantum ens, non determinat coexistentiam alterius, sed ab illa praescindit: ergo distinctio secundum relationem realem non consequitur ad ens inquantum ens; antecedens est evidens, ens enim inquantum ens nominaliter importat non repugnantiam ad essendum, & participialiter ipsum esse, sive quodvis aliud existat sive non: consequentia non est minus evidens, quia relatio realis distinctionis, sicut quævis alia relatio praedicamentalis requirit existentiam sui termini: sed ens inquantum ens praescindit ab existentia alterius: ergo praescindit à praefata relatione: ergo haec non consequitur ad ens inquantum ens, quia quod praescindit à necessario requisito relationis, non potest determinare relationem, sed ab ea etiam praescindit.

6 Probatur secundo eadem minor, quod consequitur ad ens inquantum ens, cuicumque enti convenire debet, sed distinctio pro relatione realium non convenit cuicumque enti reali: ergo non consequitur ad ens, in quantum ens. Probatur minor in Deo, qui distinguitur ab Angelo, & tamen sine relatione reali, quia praeter quatuor relationes ad intra, non est alia realis in Deo, & in Petro existente realiter, qui distinguitur ab Antichristo, & tamen sine relatione reali ad ipsum, ut notum est: ergo distinctio pro relatione non convenit omni enti, & consequenter non consequitur ad ens in quantum ens, atque adeo distinctio pro relatione non est passio entis propter ens est, quod in praesenti metaphysica vestigat.

7 Probatur tertio eadem minor, quaecumque passio connaturaliter dicitur de suo subiecto, sed distinctio pro relatione non dicitur connaturaliter de ente, sed omnino extranee, & contingenter; ergo propter sic non est passio entis; maior est certa, & satis nota: minor est evidens, tum quia relatio praedicamentalis est accidens commune, tum quia entis in quantum ens contingens est, quod habeat alterum sibi coexistens: ergo contingens est ipsa relatio, quia relatio non est nisi posita existentia termini.

8 Quarto sic probatur, distinctio non ponitur à Metaphysicis distincta passio entis ab unitate,

quia cum consequatur ad indivisionem entis in se, pertinet ad adequatum conceptum unius, & definitur, unum esse indivisum in se, & divisum à quolibet alio: ergo necessario distinctio est quid negativum. Patet consequentia, quia si positivum est, vel non est passio entis, vel est quarta passio distincta ab unitate, quia nec ex negativo potest nasci positivum, neque adequatus conceptus unius negativo, & positivo constat, sed in negativo expletur: ergo distinctio in negativo consistit; haec enim est, quae simul cum unitate consequitur ad ens in quantum ens, quaeque convenit omni enti, & habet in se quod optatur ad attributum entis.

Ultimo sic probatur, formalis multitudo est formalis distinctio sive confurgit ex formalibus distinctionibus per quas formaliter distinguuntur inter se extrema materialia componentia materialem multitudinem, sed formalis multitudo sunt negationes multitudinum repperat in vnoquoque extremo contento sub illa multitudine: ergo.

Confirmatur, quia eo modo est distinctio rationis inter aliqua realia positiva inter se identificata, ac est distinctio realis: sed illa est per formalem negationem rationis: ergo ista per formalem negationem realem. Maior sic probatur, quia distinctio obiectiva eiusdem rei in plures conceptus obiectivos est tota per ordinem ad diversos conceptus formales: sed distincti conceptus formales distinguuntur negationibus: ergo.

Ecce dedi sententiam adversariorum fortioribus, quam in ipsorum libris argumentorum ponderibus, ac rationum armis roboratam, nunc autem propriam sententiam in lucem edam, non minoris roboris: sed maioris eequidem fortitudinis viribus exornatam.

SECTIO II.

Nostri sententia explicatur & probatur.

Conclusio: distinctio actualis realis formalis inter duas positivas entitates actuales vel est formalis relatio realis, vel æquivalenter, secundum capacitatem subiecti, quae relatio æquivalenter solet vocari, secundum dici. Explicatur haec conclusio, duplex enim est entitas positiva actualis, alia increata, alia creata, & ambæ sunt capaces distinctionis formales, ambæ autem non constituuntur eodem modo; & eadem ratione formali distinctionis, nam creata entitas constituitur formaliter in esse distincta, per relationem formalem, increata autem per relationem æquivalenter, id est per conceptum æquivalentem relationi formali; hic autem loquimur de distinctione creaturae, postea acturi de distinctione entis increati, distinctionem itaque creatam ait Aristoteles consistere formaliter in relatione; nam *lib. 10. met. cap. 5.* universaliter asserit distinctionem esse relationem, quia ait distinctionem ad aliquid esse: sed ad aliquid esse est relatio: ergo distinctio ex Aristotele relatio est, & sic ipsum praedicamentum in Logica relationis vocant praedicamentum ad aliquid, in cuius primo genere includitur distinctio, quod etiam patet ex duabus definitionibus, quas *libris praedicamentorum* tradidit Aristoteles relationis: prior

T 3 est

est illud esse ad aliquid, quorum esse est ad aliquid se habere. Secunda est ea esse ad aliquid, quod id quod sunt illorum esse, aut ad aliquid aliquo alio modo dicuntur, ubi nota illud verbum *dicuntur*, quod quidem præsertim in vñ Philosophorum frequenter usurpatur solet, pro verbo *essendi*, ut ipse Aristoteles dixit in *prædicamento qualitatis*, ubi ait, qualitatem esse qua quales quidam dicuntur; unde, illud verbum *dico* in definitione rationalis æquivalere verbo *sum, es, fui*, in qua, ut ibidem explicat D. Thom. definitur relatio secundum suum esse, & essentiam, quæ essentia explicatur per illud verbum *dicuntur*, quia relatio illa est essentialiter, quæ nec esse, nec concipi potest, nisi in ordine ad aliud, v. g. Pater formaliter non potest esse, nec concipi sine ordine ad filium, & causa sine ordine ad effectum, cum autem distinctio formaliter habeat hoc ipsum, id est quæ nec esse, nec concipi possit sine alio, ideo ab Aristotele ad aliquid vocatur; unde in sententia Arist. sine aliquo dubio distinctio erit formaliter relatio, quod sic convincitur ex omnibus verbis Aristotelis, & ex definitione relationis admissa, tam à Philosophis, quam à Theologis originata seu fabricata ex verbis Philosophi contentis in supradictis duabus definitionibus, quæ sic se habet; relatio nihil aliud est, nisi illud cuius totum esse habet ad aliud, sed distinctio actualis realis inter duas entitates positivas actuales, est cuius totum suum esse tam formaliter, quam obiectivum, non est ad se, quia respectu sui nihil distinguitur, quomodo enim potest homo à se ipso distingui; unde distinctio tota est ad aliud: ergo distinctio est relatio formaliter. Maior illa clara est, minor sic probatur, quia distinctio actualis inter duas positivas entitates actuales, nec esse, nec concipi potest sine ipsis duabus, quia necessario distinctio actualis petit, tam illud, quod distinguitur actualiter, quam illud aliud, à quo distinguitur, ita ut tam in suo esse reali, quod formaliter vocatur, quam in suo esse obiectivo petat necessario unum, & alterum, inter quæ sit distinctio actualis, quomodo enim potest intelligi Petrus distingui, & Palus à quo distinguitur ipse, distinctio enim ut distinctio, quia est opposita identitati, non potest esse respectu sui ipsius, quia Petrus ad se habet identitatem, sed distinctio est opposita identitati: ergo Petrus respectu sui ipsius non potest esse distinctus, quia idem non potest esse, & non esse idem respectu sui ipsius, alias opposita maxime verificarentur respectu eiusdem, quare necessario, & essentialiter distinctio realis debet esse respectu alterius, tam in esse formaliter quam obiective, quia ut diximus, nec esse, nec intelligi potest distinctio, nisi inter duo extrema distincta: ergo distinctio est tota ad alterum: ergo est relatio.

Dices Aristotelem loqui de distinctione quæ consequitur ad transcendentalem per accidens, & hanc non negari esse relationem prædicamentalem in *5. enim metaph.* non agebat Aristoteles de passionibus entis, sed de relatione variorumque speciebus eius, quarum una, & primi generis est hæc formalis distinctio, quæ cum per accidens consequatur ad entitates positivas & relationes, propterea una est alia actu per negationem identitatis, ut ex eodem Arist. ibidem patet, impertinenter se habet ad formalitatem, & quidditatem distin-

ctionis, quæ ponenda est in priori formalitate negativa.

Sed contra, quia Arist. 10. *metaph. cap. à nobis citato* agens rigore metaphysico de formalitate relationis asserit consistere in relatione, ac per consequens vocat eam ad aliquid, nulla mentione facta de negatione identitatis; ergo inepta est explicatio mentis Arist. dicendo loquutum fuisse Philosophum de distinctione per accidens, scilicet de relatione, quæ consequitur ad distinctionem transcendentalem consistentem in negatione identitatis, de qua hic loquimur, & quæ formalis, ac simpliciter distinctio est; nam impertinens esset doctrina Philosophi, qui cum in metaphysica loqueretur, ubi subtili minerva agitur de formalitatibus rerum, & ubi data opera agebat ipse Arist. de distinctione, nulla mentione facta de negatione agat de relatione, quæ in vestra sententia per accidens est ad distinctionem de qua intendebat agere Philosophus; unde, sicut qui in metaphysica ageret de formalitate unitatis data opera, & diceret consistere in negatione perpetam explicaretur asserendo illam negationem in sententia illius taliter tractantis, non esse formalitatem, sed quid per accidens sequutum ad unitatem, præcipue si ille qui ageret de unitate, nullam mentionem faceret de positivo unitatis.

Deinde, si quis ageret in Philosophia data opera, & per se de formalitate essentiae hominis, & diceret esse risibilitatem nulla mentione facta de animalitate, & rationalitate illius, certe impertinenter, ac inepte procederetur, ac minime docentis munere satisfaceret, imo occasionem, seu ansam præberet errandi; assignaret pro essentia accidentis, vel proprietatem hominis: ergo similiter inepte procederetur Philosophus, si dum in metaphysica ubi toto rigore agitur de formalitatibus, & ubi data opera de formalitate distinctionis intendebat agere, assignaret pro constitutivo distinctionis formalis, non formalissimum constitutum illius, sed aliquid per accidens secutum ad illam; at est relatio in vestra sententia: ergo ne tantus Philosophus, ac Philosophorum Princeps tali nota inepte docentis, ac indiseriti magistri occasionemque errandi præbens afficiatur, asserendum est toto conatu sensisse Aristotelem formalissimam rationi distinctionis, non in negatione identitatis, sed in relatione consistere, præcipue cum ut dictum sit formalissima ratio distinctionis sit tota ad alterum ipsique proprie, ac vere conveniat definitio relationis secundum totum rigorem metaphysicum, locum autem *5. libri metaphysicae, c. 8. & 10.* de quo asserunt adversarii in eo loquutum fuisse Philosophum de variis speciebus relationis, falluntur enim asserendo de relationibus egisse, nam *cap. 8.* solum agit de substantia, & minime de speciebus relationis, *cap. autem 1.* de variis generibus oppositorum, de diversis, ac eisdem agit; unde dicendum est sine dubio talia capita, & loca Aristotelis, non apte explicata esse, quia aut non lecta, aut non recte intellecta.

Nunc autem denuo *cap. 8. eiusdem lib. 5. metaph.* 13 probo meam sententiam, nam Philosophus in *metaphysico eiusdem capituli*, ubi agit de identitate formaliter, sic ait [alia autem per se quemadmodum, & ipsum unum, nam, & quorum materia est una, ea aut specie, aut numero, aut genere dicuntur, eadē, &

Quæst. I In quo consistat distinctio. 335

& quorum substantia vna, ita perspicuum est identitatem unitatem esse quandam ipsius esse, aut plurium, aut cum quis vno, vt pluribus vtitur, veluti cum ipsum, idem quod ipsum esse dicitur vt duobus enim ipso vtitur, sic Arist. quæ lo- cum his verbis explicat D. Thomas *le. 1. s. ponit in medio eiusdem lectionis super eundem librum 5. met.* ponit inquit modos eiusdem per se, & dicit quod aliqua dicuntur eadem secundum se eisdem modis, quibus dicitur vnum per se, omnes enim modi quibus aliqua vnum per se dicuntur, reducuntur ad duos, quorum vnus est secundum quod dicuntur vnum illa, quorum materia est vna, siue accipiamus materiam eandem secundum speciem, siue secundum numerum, ad quod pertinet secundus, & tertius modus vnius, alio modo dicuntur vnum, quorum substantia est vna, vel ratione continuitatis, quod pertinet ad primum modum, vel propter unitatem, & indivisibilitatem rationis, quod pertinet ad quartum, & quintum; vnde & his modis dicuntur aliqua esse idem, ex hoc autem alterius concludit, quod identitas est unitas, aut ex eo quod illa quæ dicuntur idem sunt plura secundum esse, & tamen dicuntur idem in quantum in aliquo vno conveniunt, aut quia sunt vnum secundum esse, sed intellectus vtitur eo, vt pluribus ad hoc, quod relationem intelligat, nam non potest intelligi relatio, nisi inter duo extrema, sicut cum dicitur aliquid esse idem sibi ipsi, tunc enim intellectus vtitur eo, quod est vnum secundum rem, vt duobus, nam eiusdem ad se ipsum relationem assignare non posset; vnde patet, quod si relatio semper requirit duo extrema, & in huiusmodi relationibus non sunt duo extrema, secundum rem, sed secundum intellectum solum, relatio identitatis non erit relatio realis, sed rationis, quod aliter contingit in alio, & alio, cum sint duo extrema realia, ex quibus sic argumentor.

14 Et primo ex verbis primis D. Thom. explican-
tibus mentem Arist. in quibus ait D. Thom. Phi-
losophum asserere tot modis dici vnum per se,
quot dicitur idem per se, quia vt inquit Philoso-
phus, identitas, unitas est, id est, in eo consistere
formaliter identitatem, in quo consistit formaliter
unitas: sed unitas consistit in negatione for-
maliter, secundum mentem Philosophi, & D. Th.
vt à nobis supra late probatum manet, & admit-
titur ab adversariis: ergo ratio formalis identita-
tis consistit in negatione, sed forma vel positivum
cuius negatio est distinctio: ergo si distinctio, est
negatio: ergo identitas erit quid positivum, quia
negatio negationis positivum est apud adversa-
rios; atqui formalitas identitatis ex Philosopho,
non est positivum sed negatio vera, & formalis:
ergo ratio formalis distinctionis, quæ negatur per
identitatem erit ratio formalis positiva: sed talis
positiva ratio non est ad se, sed ad alterum: ergo
non est absoluta sed relativa; vnde relatio forma-
liter in sententia Aristotelis, cum non possit dari
aliud positivum.

15 Dices identitatem dicere negationem alicuius
positivi ad quod adverte in duobus entibus di-
stinctis duo reperiri, & vnumquodque esse pro-
prijs, & positivis terminis terminatum, & com-
pletum, vt duæ quantitates discretæ habent pun-
cta terminativa; aliud est negationem vnius res-
pectu alterius, identitatem autem non negare
hanc negationem, sed positivis terminos.

16 Contra, quia natura Angelica Gabriëlis, vt

suppono, ex infra dicendis potest separari à substi-
stentia propria, & tunc sic separata vere distin-
gueretur ab alia natura Angeli, & non esset ea-
dem cum illa, ex alio capite non haberet termi-
num positivum: ergo ratio formalis per quam
constituitur illa natura distincta, & non eadem
formaliter, non est terminus positivus, siquidem
sine talibus terminis constituitur in esse distin-
cta, & constituitur in esse non eiusdem, & sic id,
quod negat identitas non erit terminus posi-
tivus.

Secundo contra, quia natura Angeli prius na-
tura, quam vniatur propriæ substantiæ, id est
natura secundum se petit distinctionem, & non
identitatem cum natura alia Angeli, quia distin-
ctio sequitur ad quancunque entitatem vtram, &
realem, sed in priori natura, & quatenus distin-
guitur à propria substantia est vera entitas par-
ticularis, & non altera Angeli naturæ, v. g. naturæ
Michaëlis vt sic, non est natura Gabriëlis: ergo
est distincta, & non eadem propterea, à natura
Gabriëlis: ergo non constituitur in esse talis, per
terminum positivum, nec identitas formaliter
negat illum, cum identitas formaliter neget id
per quod primario constituitur distinctum.

17 Tercio contra, quia distinctio naturæ quate-
nus natura est, non est constitutio suppositi, in-
quantum suppositum est; sed terminus positivus
naturæ Angelicæ, vel humanæ est constitutum
suppositi inquantum suppositum: ergo terminus
positivus non constituit naturam Angeli, vt di-
stinctam ab alia natura. Minor est certissima, quia
nihil aliud est terminus positivus debitus natu-
ræ completæ substantiali, v. g. humanæ vel An-
gelicæ, nisi suppositalitas, sed suppositalitas con-
stituit suppositum inquantum suppositum: ergo
suppositum constituitur formaliter in esse su-
positi per terminum positivum. Maior sic proba-
tur primo, quia natura humana Christi habet di-
stinctionem humanam, & creatam, vt ita dicā ab
alia natura humana Petri, v. g. sed illa natura hu-
mana Christi, nō habebat terminum creati posi-
tivum: ergo. Secundo, quia distinctio naturæ qua-
tenus distinctio illius est, pertinet ad constitutio-
nem naturæ in quantum natura, & ita solet dici
communiter per id quod constituitur, natura di-
stinguatur ab alia quacunque, & licet formaliter
ipsa distinctio non sit prædicatum essentiale natu-
ræ, nihilominus pertinet ad ipsam inquantum
natura est, sicut unitas pertinet ad rem cuius uni-
tas est, & in sententia adversariorum, distinctio
est completivum unitatis, sed terminus positivus
non pertinet ad naturam, inquantum natura est,
nec complet illam in esse naturæ, sed solum per-
tinet ad constitutionem suppositi inquantum
suppositum est, quia suppositum vt tale per ter-
minū positivum additum naturæ completæ con-
stituitur, imo quia natura distincta est ab alia, &
præsupponitur, vt distincta ad terminum posi-
tivum, illi tribuitur distinctus terminus, ac est
ille, qui tribuitur alteri naturæ; vnde, cum natu-
ra præsupponatur distincta prioritate naturæ
reali, tam ad terminum positivum suppositalita-
tis, quam ad suppositum, respectu enim termini
positivi est quali causa materialis natura, quate-
nus distincta ab alia, respectu vero suppositi est
pars intrinsece constitutiva, quod adeo verum
est, vt distinctio tam termini positivi quam sup-
positi sit distincta à distinctione naturæ quate-
nus natura: ergo natura formaliter in esse distin-
cta

et non constituitur per terminum positivum substantialem absolutum; sed nec constituitur per negationem solum, quia identitas quæ opposita est formaliter, & immediate distinctioni negatio est distinctionis, ut patet ex verbis Philosophi, tam à nobis ponderatis: ergo ne detur immediata, & formalis negatio negationis, sed in positivo, sed tale positivum non est absolutum, ut diximus, quia totum est ad alteram, & illi convenit propriissime definitio relationis tradita à Philosopho: ergo tale positivum, quod formaliter constituit distinctionem debet esse relatio.

- 18 Deinde ex secundis verbis D. Thom. sic argumentor, quia in illis ait Angelicus D. identitatem non esse à parte rei relationem, quia ad relationem realem requiruntur duo extrema realiter distincta, quæ non reperiuntur intra idem, & se ipsum, quod aliter contingit inquit Divus Thom. in alio, & alio; id est inter distincta, aliud enim & aliud, realiter duo extrema sunt, & unum quodque ut aliud; seu distinctum non est ad se, quia idem non distinguitur à se ipso: sed ad aliud; unde distinctum relativum erit in sententia D. Thom. quia comparando distinctum, & idem ait, idem non esse relativum à parte rei, distinctum autem aliter se habere, id est non esse absolutum, ut idem, sed relativum, quia est ad aliud: ergo in sententia D. Thom. explicantis mentem Philosophi, necessario fatendum est distinctionem esse formaliter relationem.

SECTIO III.

Rationibus probatur nostra sententia.

- 19 Primo actualitas distinctionis est actualitas intrinseca, in distincto quæ petit necessarium alterum extremum actu existens, ut constituat subiectum in quo est in esse actualiter distincti: ergo distinctio per quam formaliter, & actualiter constituitur in esse talis, est relatio realis: antecedens evidens est, quia illud quod actu distinguitur intrinsece, & non per denominationem extrinsecam distinguitur ab alio; ut ait D. Thom. *quest. 40. art. 2. in corpore*. his verbis primo quidem, quia ad hoc, quod aliqua duo distincta intelligantur, necesse est eorum distinctionem intelligi per aliquid intrinsecum vtriusque; quis enim dicat hominem distingui à leone actu essentialiter, & creaturam distingui à Deo secundum suam esse intrinsecam, & essentialiter per denominationem extrinsecam; in quo enim esset distinctio intrinseca, quia utrumque extremum æque distinguitur, & non est maior ratio; quare in vno potius quam in altero intrinsece sit ipsa formalis distinctio; imo si bene consideretur, dabitur circulus vitiosus, si in vnoquoque extremo non detur proprie intrinseca distinctio; quod autem sit actualitas patet evidenter, quia effectus actualis intrinsecus, & formalis petit actualem formam necessariam, & essentialiter, ut supra probavimus, *quest. de Principio Individuationis*: sed Petrus existente Paulo actu distinguitur ab illo: ergo distinctio, quæ est forma reddens Petrum actu distinctum, est actualitas, & actualis distinctio.

- 20 Quod autem necessario petat alterum actu

existens, asserit expresse P. Suarez, his verbis, *tom. de Deo, lib. 7. De propriet. & consuet. Personarum, cap. 4. §. Deinde. nu. 3.* [nam prior actualis distinctio, vel solum consistit in relatione aliqua reali, aut rationis, vel in denominatione, ratione cuius res non denominatur actu distincta; nisi aliud extremum existat.] & *tom. 1. Metaph. disp. 5.* ubi asserit expresse negationem illam per quam in sua sententia constituitur distinctum ad hoc, ut actu distinctum constituat, petere necessario terminum distinctionis actu existentem, quod omnes tam Theologi, quam Philosophi, sine dubio fatentur, & S. Thom. in 1. *dist. 26. q. 2. à num. 2.* id probat, ac defendit, quod evidenti lumine notum est, quia materia actu existens actu non distinguitur distinctione actuali à forma non existente, quis enim poterit vilo modo asserere Petrum actu existentem distingui actualiter ab Antichristo futuro; tale enim asseritur non solum sapientibus, sed etiam leviter doctrina tinctis ludibrium esse deberet iure optimo; distinctio enim actualis inter duo coexistentiam illorum petit necessario inter quæ datur; & ratio evidens est, quia distinctio actualis debet esse talis, ab actualitate propria; sed actualitas propria distinctionis, necessario petit actualitatem subiecti, quod constituit, quia si tale subiectum non est actuale non erit actu distinctum, cum actu esse distinctum supponat actu esse in tali subiecto, quia distinctio est attributum in sententia adversariorum: atqui attributum non est actuale, & actualiter existens si subiectum cuius attributum est, non sit actuale: v. g. si Deus non esset actu Deus per impossibile non posset actu esse misericors & iustus, & si homo non esset actu homo, non erit actu risibilis, & admirativus, & quantitas si actu non est existens, non poterit actu esse extensa; unde sine dubio attributum actuale, ut tale sit, petit necessario actualitatem subiecti vel essentiam cuius attributum est: ergo si distinctio est attributum rei, ut sit actualis, necessario requirit actualitatem rei; sed talis actualitas distinctionis non est absoluta, nec consummatur tota in ordine ad subiectum in quo est, quia actualis distinctio rei non est in ordine ad ipsam rem, quia ut sæpe dixi, idem non distinguitur à se ipso, sed potius distinctio est vnus rei in ordine ad aliud, quia distinctum, ut distinctum, nec esse, nec concipi potest, nisi in ordine ad aliud: ergo distinctio, ut distinctio, necessario est inter duo extrema; unde actualis distinctio erit inter duo extrema actualia necessario, necessarioque dependit ab illis, ut actualibus, & ut actu existentibus, quia quando aliqua ratio secundum se dependet essentialiter à duobus extremis, actualitas illius rationis necessario petit actualitatem illorum extremorum, à quibus ut actualibus, & ut actu existentibus debet dependere; ut videre est in vnione, quæ quia secundum se petit duo vnibilia actualitas, seu existentia vnionis petit actualitatem, seu existentiam duorum vnibilium, & quia visio, seu actus videndi petit necessario duo extrema, potentiam videntem nimirum, & obiectum visum, ut sit actualis talis visio petit actualitatem, & existentiam, tum potentie visivæ, tum obiecti visi: sed distinctio secundum se necessario petit duo extrema inter quæ sit: ergo ut actualis sit, & actu existat, petit necessario actualitatem, & existentiam duorum extre-

Quæst. I. In quo consistat distinctio. 337

extremorum inter quæ actualis distinctio sit, quod à posteriori colligitur evidenter, siquidem ut omnes adversarij fatentur, ut actualiter constituat distinctum proprium subiectum, petat necessario coexistentiam alterius extremi, à quo distinguitur; ratio autem à priori totius est, quia accessorium sequitur principale, & existentia sequitur essentiam, sed distinctio secundum se est essentia, & principale, & actualitas distinctionis est existentia, & accessorium: ergo sicut essentia distinctionis petat duo extrema; ita actualitas distinctionis, (alias accessorium non sequetur principale,) necessario petat actualitatem duorum extremorum inter quæ sit.

Ex quibus omnibus evidenter colligitur distinctionem esse actualitatem intrinsecam in distincto, non in ordine ad se, & absolute, sed in ordine ad alterum extremum actu existens, quia idem à se ipso non distinguitur, sed necessario debet distinguere ab alio à se non futuro, nec potentiali, sed præfenti, & actu existente, si actualiter ab illo distinguatur; unde, ut iam dixi, Deus ab æterno non distinguebatur actu à creaturis, quia actu creaturæ non erant ab æterno; Pater æternus autem distinguebatur actu à Verbo divino, & Patre, & Filius distinguebatur actu ab Spiritu sancto, quia actualiter tres illæ personæ existebant realiter ab æterno.

Consequentia prima, & præcipua est manifestata, quia relatio nihil aliud est, quam formalitas actualis intrinseca, & actualiter existens in vno extremo, petens necessario aliud extrinsecum extremum à se, & à suo fundamento, seu subiecto realiter distinctum, & actu existens; nam ideo Paternitas, & similitudo sunt relationes, quia sunt formæ actuales intrinseca existentes, tam in generante, quam in subiecto simili petentes necessario genitum, & aliud simile realiter distincta à generante, & alio simili; & etiam quia similitudo & Paternitas sunt actualitates extra essentiam rei, quæ talibus formis constituitur, sed distinctio actualis est actualitas intrinseca in distincto, petens necessario coexistentiam actualem alterius extremi extrinseci, & etiam est extra essentiam distincti actualiter: ergo distinctio realis actualis inter aliqua extrema est relatio actualis inter illa: hæc consequentia est evidens, à paritate rationis, & quia ubi est eadem ratio formalis, est idem effectus, vel quasi effectus.

Secunda pars huius minoris sic probatur, quia quando existunt Petrus, & Paulus actualiter, Paulus distinguitur à Petro actualiter, destructo autem Petro, iam actualiter non distinguitur Paulus à Petro, alias etiam Petrus distingueretur à Paulo actualiter, quod est impossibile, quia quod non est actu, non potest actu distinguere, quia actualitas distinctionis actualitatem subiecti petat, ut probavimus, quia quod actu nihil est, nihil actu potest facere, & ut est evidens pronuntiatio in iure, non entis nullæ sunt qualitates, id est quod non est, nullum attributum proprietatem, vel operationem habet: atqui distinctio est attributum: ergo Petrus qui actu non est, non potest actu distinguere à Paulo. Sequela sic probatur, quia sicut impossibile est, quod vna pars uniat actualiter alteri, & quod altera huic non uniat actualiter, quia vno petat duo quæ uniat, sic similiter impossibile erit, quod Paulus distinguatur à Petro non existente, & quod Petrus non existens actualiter non distinguatur à Paulo, cum

R. P. Ildeph. de Peñañel, Theol. Schol. Tom. I.

distinctio petat necessario duo inter quæ sit; item quia si destructo Petro daretur actualis distinctio, etiam possem dicere ego, destructo Patre, & destructo simili, manere tam actualem filiationem formaliter, quam similitudinem, quia non est maior ratio in filiatione, & similitudine, quam in distinctione: ergo destructo altero extremo hoc extremum, v. g. Paulus, non potest manere distinctus, & nihilominus destructo Petro manet essentia Pauli, quia Paulus vivit: ergo actualis distinctio est aliquid extra essentiam Pauli; nam manente tota, & adæquata essentia, & existentia Pauli, ex eo quod Petrus non existat, non distinguitur Paulus actualiter, & formaliter à Petro: ergo actualis distinctio est extra essentiam rei, sicut similitudo, convenientia, & identitas sunt extra essentia suorum subiectorum, quia destructis illis formis, conservantur subiecta earum; unde si ex alio capite ut demonstratum manet, distinctio actualis est relatio, non erit transcendentalis, sed prædicamentalis, quia relatio transcendentalis est de essentia rei.

Dices verum esse quod non possit concipi distinctum, nisi ut ad alterum, sed non ideo hoc evenire, quia est relatum, sed quia distinctio est negatio, quæ etiam petat, ut nec esse, nec possit concipi nisi in ordine ad alterum, ut cæcitas non potest esse, nec concipi nisi ut carentia visus, & tenebræ nisi ut carentia lucis.

Contra primo, quia si distinctio esset negatio, maxime quam adversarij ponunt ad hoc ut dicamus Petrum non esse Paulum, seu non esse idem quod Paulus, alia enim negatio constituit distinctiōem, nec fingi, nec concipi villo modo potest, sed hæc negatio non sufficit ad distinctionem actualem constituendam: imo existente hæc negatione, non existit formaliter distinctio actualis: ergo distinctio actualis non est negatio, identitatis cum altero. Pater hæc consequentia, quia ea, quæ ita se habent, ut existente vno realiter, & formaliter, non existit alterum realiter, & formaliter realiter distinguuntur inter se, & vnum non est alterum realiter, quia separatio est evidens signum distinctionis, & maxima omnium separatio inter aliqua est illa, qua existente vno realiter alterum non existit, imo si metaphysice loquamur, sola hæc separatio est signum evidens distinctionis, nam separatio quoad locum, &c. realis non est signum evidens distinctionis realis, quia ut suppono ex physicis, idem corpus potest esse separatum à se ipso, quia idem corpus potest poni in duplici loco circumscriptive per potentiam Dei absolutam, & sacramentaliter, ut de facto contingit in Sacramento Eucharistiæ; sed existente negatione identitatis cum alio, non existit actualiter distinctio actualis: ergo distinctio actualis non est negatio identitatis, nec negatio identitatis sufficit ad distinctionem formaliter. Minor hæc sic demonstratur, quia hæc est vera propositio ab æterno Deus actu non est creatura, quia in quacunque duratione verificatur Deum esse actu infinitam & independentem entitatem: sed infinita, & independentis entitas in quacunque duratione, sive ab æterno, sive in æternitate, sive in tempore actu non est, nec potest esse creatura, quia creatura est finita entitas, & dependens, alias si esset creatura esset dependens, & non dependens, infinita, & non infinita; nec obstat dicere, quod non esset infinita, & non infinita, sed infinita, & finita.

V u Non

24 Non enim hoc obstat, quia ex eo quod idem sit finitum, & infinitum, sequitur necessario quod sit finitum & non finitum, infinitum & non infinitum, sicut, v.g. ex eo quod eadem entitas esset rationalis, & irrationalis sequeretur necessario, quod esset rationalis & non rationalis, irrationalis & non irrationalis, & ideo nec per potentiam Dei absolutam homo potest esse simul brutum, & irrationale; nam licet verum sit, quod non valeat bene, non est rationale; ergo irrationale, lapis enim non est rationalis, & nihilominus non est irrationalis; nihilominus tamen bene valet, est irrationalis: ergo non est rationale, ut videre est in equo, leone, & quocunque animali bruto, de quibus verificatur ex eo quod animalia irrationalia sunt esse animalia non rationalia; unde si homo esset animal rationale, & irrationale, simul esset animal rationale, & non rationale, sic similiter si Deus esset finita & infinita, dependens & independens entitas, esset infinita & non infinita, independens & non independens entitas, quod est impossibile, cum immediate opponatur principio illi evidentissimo, impossibile est idem simul esse, & non esse, tunc sic; sed Deus ab aeterno est actu infinita, & independens entitas: ergo non est actu dependens, & finita entitas: ergo nec actu creatura, inter duas enim contradictoria oppositio est immediata, & maxima; unde inter aliquos terminos contradictorios, ut sunt creatura, non creatura; ita est immediatio maximaque, ut ita dicam contritatio, ut sit necessaria consequentia ex negatione unius ad verificationem alterius respectu subiecti actu existentis, non solum in tempore, nec in aeternitate dumtaxat; sed etiam ab aeterno, & pro omni, & quacunque duratione, & ideo principium Metaphysicum constans ex terminis contradictorijs, scilicet impossibile est idem, &c. non est alligatum alicui differentiae temporis, sed omni duratione sive temporali, sive aeterna valet, absolvuntur enim principia Metaphysica ab omni actu negatio identitatis cum creaturis formaliter constituens Deum actu, non creaturam, licet actu creatura non sint ab aeterno, nec actu existat, & nihilominus in vestra, & in omnium sententia, ut supra late demonstratum manet, non datur in Deo actualis distinctio à creatura, nec actu distinguitur Deus ab illa, quia actu creatura non est, nec existit, similiter actu est verum dicere Petrus existens actu non est Antichristus existere, & nihilominus non est verum dicere, Petrus actu existens, actu distinguitur ab Antichristo, vel differt ab illo non existente actu, nam etiam posset dici disconvenit actu ab illo, & posset etiam dici Ioannes actu existens dissimilis est actu, equo non existente, & etiam posset verificari de Petro, Petrus convenit essentialiter actu cum Antichristo, quia erit homo sicut Petrus: sed hoc est falsissimum, quia convenientia actualis disconvenientia, similitudo, ac dissimilitudo actualis sunt relationes praedicamentales, quae non resultant nisi posito fundamento, & termino: ergo negatio identitatis cum alio ratione citius verificatur hoc, non est illud existit actualiter constituendo formaliter subiectum, quod est, & non existit actualiter distinctio actualis, quia non consistunt duo extrema, ut in casu à nobis

posito pater, dum existit Petrus non existente Antichristo; unde evidenter sequitur negationem identitatis unius cum alio non esse actualement, ac formalem distinctionem.

Secundo contra, quia negatio dupliciter potest est considerari, vel per modum privationis, vel per modum negationis, si autem sit per modum privationis necessario petit ut forma, & terminus, cuius negatio est non existant existente actualiter, & formaliter, & actualiter constituente subiectum in quo est privatione, & ratio evidens est, quia privatio debet esse carentia in subiecto apto nato habendi formam, cuius privatio est, ita ut si existat forma, necessario debeat existere in subiecto ubi existit privatio, siquidem privatio, ut dixi est carentia talis formae in tali subiecto apto, sed non possunt simul in eodem subiecto existere privatio, & forma, cuius privatio est, & si coexistenter privatio, & forma simul, deberent existere in eodem subiecto, quod est summe impossibile; ergo existente privatione necessario petit, ut forma seu terminus cuius privatio est non existant à parte rei, si autem sit negatio per modum negationis, licet non petat talis negatio necessario semper ut terminus, vel forma, cuius negatio est, non existant actu, nihilominus potest dari negatio quaecunque actualiter, & formaliter constituendo sine eo quod forma, vel terminus actu existant, quorum negatio est, itaque hoc certissimum est negationem per modum negationis non petere necessario terminum vel formam actu existere, ut ipsa negatio actu, & formaliter existat, & ut ipsa negatio actu, & formaliter constituat subiectum in quo est.

Hos duos casus exemplis illustrabo, & primo casum privationis; nam existentibus tenebris non potest existere simul à parte rei lux, cuius tenebrae sunt, quia si existentibus tenebris existeret à parte rei lux, cum lux illa debeat existere in hoc aere ubi existunt tenebrae, necessario existerent simul in eodem aere carentia, & forma cuius carentia est, v.g. tenebrae, & lux; nam tenebrae, v.g. non sunt carentia lucis existentis in alio aere, sed in hoc numero aere; unde si possent coexistere à parte rei tenebrae, & lux cuius tenebrae sunt, simul existerent tenebrae, & lux in eodem numero aere, quod est impossibile, & idem verificatur de caecitate; nam existente caecitate in oculo Petri necessario petit, ut visus cuius caecitas est, non existat à parte rei, quia simul deberent existere in eodem oculo Petri caecitas, & visus carentia, & forma, cum caecitas in oculo Petri existens non sit carentia visus existentis in oculo Ioannis; sed potius illius, qui existens in oculo Petri; deinde negatio potest existere in oculo Petri; deinde negatio existentiae, quae ab aeterno est in possibilitate Petri, quia est privatio illius petit necessario, ut existente eo in possibilitate Petri non existere possit existentia cuius negatio, vel privatio est, propter rationem dictam.

Secundum casum illustro exemplis sequentibus, nam possibilitas in sententia adversariorum est negatio repugnantiae, quae negatio petit necessario, ut terminus cuius negatio est non existat, repugnantia enim nullo modo potest existere, quia iam esset repugnantia, & non repugnantia unitas Dei, etiam ut adversarii asserunt ab aeterno extitit in Deo constituendo ipsum Deum in esse unius, & nihilominus pluralitas, vel

Quaest. I. In quo consistat distinctio. 339

vel divisio in ipso Deo, quæ est forma seu terminus negatus per unitatem Dei non existit ab æterno, & idem est de identitate Dei, simplicitate, immortalitate, ac independentia ipsius, sed magis ad rem negatio, quæ Deus constituitur in esse non creatura; id est ratione cuius constituitur Deus, ac cum veritate dicitur de eo, Deus actu non est creatura, non est homo actu, actu non est accidens reale, fuit vere actualiter ab æterno in Deo ut supra late demonstratum manet, & nihilominus ab æterno nulla creatura existit actualiter: ergo omnis negatio, si sit privatio siue pura negatio potest dari actualiter in aliquo subiecto, & illud formaliter, & actualiter constituere sine eo quod terminus vel forma cuius negatio est, existat actu: sed distinctio actualis, quatenus distinctio actualis est, ut patet ex supra demonstratis, petit necessario coexistentiam, & actualitatem duorum extremorum, id est existentiam subiecti in quo est, & termini à quo distinguitur, ita ut nullo modo possit, aut esse aut concipi, aut constituere actu distinctum subiectum, si actu non existit res illa ad quam terminatur distinctio, & à qua distinguitur subiectum distinctionis: ergo talis distinctio actualis est extra totam latitudinem negationis, quia negatio ut sic ad quæ dividitur in privationem, & negationem, sed distinctio actualis nec est privatio, nec negatio, quia privatio quando existit, petit ut terminus, cuius privatio est, nullo modo existat, ex negationibus autem quædam idem petunt, aliæ autem indifferentes sunt, ut in negatione identitatis patet, ad hoc ut possint existere, & actu formaliter constituere, sine eo quod existat terminus, aut ut coexistat talis negatio, & terminus eius, ut in tempore, quando verificatur hæc propositio, Deus actu non est creatura; nam actu, & existit negatio identitatis in Deo, & creatura negata per talem negationem; sed distinctio actualis est determinata essentialiter, ad hoc ut nec esse nec concipi possit actualis, sine subiecto constituto per illam actuali, & sine termino actuali, à quo distinguitur tale subiectum: ergo evidenter colligitur distinctionem actualem esse extra totam latitudinem negationis, ut sic sed non est medium inter omnem negationem, & positivam entitatem, quia immediate opponitur positiva entitas omni negationi; ergo distinctio actualis quæ nulla negatio est, & vere est, id est vere datur à parte rei, erit positiva entitas; sed non est absoluta entitas, cum non consumetur tota in suo subiecto, nec sit in ordine ad illud tantum, idem enim non distinguitur à se ipso, sed necessario est in ordine ad alterum, ut patet ex dictis: ergo est relatio, sed non relatio transcendentalis, quia non est de essentia rei distinctæ, ut supra probavi: ergo prædicamentalis; unde distinctio quatenus formaliter est relatio respicit terminum, ut pure terminum, distinctione enim res distincta refertur ad id quod distinguitur ab ea, ut ad purum terminum negatum per negationem identitatis suppositam, ad relationem distinctionis sequitur.

46 Tercio contra, quia relatio est inter duos terminos positivos, & debet etiam in concreto significari, v.g. Pater est alicuius filij Pater, creatura alicuius creatoris, & diversum ab aliquo est diversum; at vero cæcitas licet sit negatio visus, non potest ad aliud significari, non enim est cæcus alicuius, neque ab aliquo, quia isti sunt conceptus rei in se, & ad se.

R. P. Iñep. de Penafiel, Theol. Schol. Tom. I.

Præterea, quia cæcitas est defectus, seu carentia visus, Deus enim distinctus, non est defectus creatura; nec homo distinctus ab equo, non est defectus nec carentia equi, sed potius est respectus ad equum, sicut diversum est ad aliud, imo Arist. oppositum, & distinctum, ut species diversitatis, quæ relatio est primi generis, in secundo fundamento collocavit, quia non est maior ratio de diverso opposito, ac distincto.

Dices cum P. Suarez *sect. 1. metaph. disp. 3. tom. 1.* 28 quod licet in distincto detur relatio distinctionis, nihil refert ad distinctionem formaliter, quod consequatur talis relatio distinctionis; unde non est necessaria formaliter loquendo, & ut impertinens ad præsentem tractatum expellenda est, quia Angelus licet refertur ad Deum ante illam relationem, iam intelligitur ut distinctus à Deo.

Sed contra primo, quia ut iam supra late probatum manet, ad distinctionem duplex ratio intercedit, præter quas nulla alia, aut concipi aut intelligi potest, negatio identitatis scilicet, & relatio; ut ex dictis supra patet, negatio identitatis non sufficit ad distinctionem actualem: ergo necessaria est ad talem distinctionem formalem tanquam formale constitutum illius relationis prædicamentalis; unde ante talem relationem Angelus actu, & formaliter non distinguitur à Deo, sicut ante albedinem quæ est formale constitutum albi, paries non erit albus actu, & formaliter; ex quo evidenti colligitur talem relationem non esse impertinentem ad præsentem tractatum, nec expellendam esse veluti non necessariam ad distinctionem formalem actualem, cum talis relatio sit ipsissima formalitas distinctionis.

Secundo contra, quia formalitas alicuius in metaphysica, ubi proprie de formalitatibus est sermo, maxime conducit, maximeque necessaria est tam ad constitutionem rerum, quam ad formalem intelligentiam illarum, ac per consequens non potest vilo modo talis formalitas, ut impertinens reijci, v.g. dum in metaphysica loquimur de oppositis similibus diversis Patre, & Filio, non potest reijci, ut impertinens relatio formalis oppositionis Paternitatis, filiationis, &c. quia sunt formalitates constituentes talia entia, sicut dum de Deo, & homine loquimur, non potest ut impertinens expelli tam ratio à se, & independentiæ, quam principium ratiocinandi, quia sunt formalitates, tam Dei, quam hominis, sicut in sententia P. Suarez non potest, ut impertinens expelli negatio identitatis, dum de distincto agitur, quia est formalitas distincti, cum metaphysica data opera, & formaliter agat de formalitatibus, sed in metaphysica agitur de distincto actuali formaliter, cuius formalitas uti Patris similis diversis, & oppositi, quia est ad alterum consistit in relatione formaliter; nam omne, quod per relationem constituitur, non impertinenter, & materialiter, sed formaliter, & proprie constituitur, ut videre est in toto prædicamento relationis, & sic prædicamentum relationis non est impertinens ad metaphysicam; unde si in sententia P. Suarez datur relatio distinctionis in distincto formaliter per illam, quam per negationem constituitur in esse distincti, quia relatio comparata cum negatione metaphysicè nullius valoris, aut ponderis est, quomodo enim negatio, in constitutione formali alicuius anteponeatur relationi, quis enim dicit Patrem æternum constitui potius

V u 2 forma

formaliter negatione Filij, quam ipsa relatione formali Paternitatis, aut quis in humanis dicet constitui filium negatione Patris, quam vere, & proprie habet, & non relatione filiationis.

³¹ Tota autem ratio huius evidens est, quia quando concurrunt simul in aliquo in ordine ad aliquam constitutionem positiva entitas, & negatio potius dicendum est precipuam, primariam, ac formalem rationem in tali constitutione esse positivam entitatem, quam negationem: ergo licet ad constitutionem distincti concurrat negatio identitatis cum relatione potius in tali constitutione habenda est ratio de positiva entitate relationis, tanquam de primario precipuo ac formali constitutivo, quam de negatione identitatis: ergo talis relatio formalis distinctionis, quæ ab adversariis conceditur in distincto, non est rejicienda, ut impertinens, sicut dum de Patre, & diverso loquimur Paternitas, & diversitas, quæ relationes sunt formaliter, non rejiciuntur tanquam impertinentes ad constitutionem illorum, quia Pater, & diversum formaliter sunt ad alterum; unde relativa formaliter, sed distinctum etiam formaliter est ad alterum: ergo distinctum formaliter est relativum, sed à constitutione relativi formaliter non est expellenda relatio, ut impertinens: ergo à constitutione distincti formaliter, siquidem relativum est formaliter non est expellenda ut impertinens relatio distinctionis.

³² Ad illud autem quod in ultima parte obiectionis dicitur, scilicet quod Angelus prius est distinctus à Deo quam relatus. Respondeo esse id falsum, si de distinctione formali actuali loquamur, quia formalitas distincti ad aliud est formaliter, unde relatio est; si autem materialiter, & fundamentaliter de illa sermo sit, verum est quod dicitur, sicut in Logica diximus agentes de distinctione relationis à fundamento, & in sequenti conclusione à nobis dicitur, v.g. si de diverso formaliter, & actualiter loquamur de quo prius, primario, ac principaliter agit formalissime metaphysica, minime prius est diversum, quam relatum; si autem loquamur materialiter de diverso, prius est diversum, quam relatum.

³³ Dices, quia distinctio formalis, quia relatio est, distinguitur à suo fundamento in re per quid distinguitur ab alio: si per aliud, procedetur in infinitum; si non per aliud, distinctio non distinguitur à re nec erit relatio.

³⁴ Contra, & oppono tibi idem argumentum, si distinctio formalis est negatio supra positivum distincta ab ipso positivo, vel illud positivum distinguitur à formalitate ipsius per aliam negationem, vel non; si per aliam, procedetur in infinitum; si non per aliam, sed per suam entitatem, iam ipsa distinctio formaliter non erit negatio, sed positivum formaliter, unde eo modo, quo respondebis, respondebo.

³⁵ Responso igitur hæc esto, dicimus distinctionem formaliter quæ relatio formaliter est per se ipsam distingui à fundamento realiter, id est per suam ipsam entitatem, quia ipsa formalitas non est talis per aliam formalitatem, unde ipsa per se ipsam distinguitur ab illo; item ipsum etiam fundamentum distinguitur à distinctione non per aliam distinctionem, nisi per se ipsum, quia quando aliquod comparatur ad formalitatem, siue extrinsecè, siue intrinsecè, & formaliter, nec ex parte ipsius formalitatis, nec ex parte alterius habentis ipsam formalitatem est necessaria alia distinctio

entitas, licet ad aliud sit necessaria ipsa formalitas, v.g. licet ut materia prima recipiat cetera accidentia distincta à quantitate, indigeat quantitate, nihilominus ut recipiat quantitatem non indiget alia, quia est formalitas recipiendi accidentia; deinde licet ut quantitas vniatur materiæ primæ sit necessaria distinctio entitas vnionis ab entitate materiæ, & quantitas, non tamen est necessaria alia unio ut ipsa unio vniatur quantitati, & materiæ, nec ut materia vniatur vnioni; item licet ut procedat effectus à causa sit necessaria entitas, distincta ab effectu, & à causa, quæ formalitas actionis est, nihilominus ut actio ipsa procedat ab agente non est necessaria alia actio, & ut agens producat ut quo actionem, similiter non est necessaria alia actio respectu illius: deinde ut potentia visiva videat quodcumque obiectum preter lucem, indiget luce, ad hoc autem ut videat lucem non est necessaria alia lux, quia est ratio formalis videndi: ergo licet entitas fundamenti distinguatur ab alia mediante distinctione formali distincta ex natura rei à fundamento, ut autem ipsum fundamentum distinguatur à distinctione, & distinctio à fundamento, quia distinctio est formalitas distinguendi, non est necessaria alia distinctio ad hanc distinctionem, quia ad vniam formalitatem, ut talis est, non datur alia.

Secundo principaliter sic argumentor hac ratione, si propter aliquam rationem distinctio formalis actualis non esset relatio, maxime quia negatio identitatis in distincto, est prius in ipso quam relatio, unde prius constituitur per negationem identitatis in esse distincti, quam per relationem: sed hoc est falsum, quia prius antecedit relatio, quam negatio identitatis: ergo distinctum prius constituitur in esse distincti per relationem, quam per negationem identitatis: ergo relatio erit formalis distinctio. Maior est ipsa sententia Adversariorum; minor sic probatur, nam subiectum negationis prius ratione est, quam negatio ipsa, quia in eo fundatur, item habitus, seu forma quæ privat est prior ipsa negatione: ergo prius intelligitur ær, & lux, quam intelligatur in ære privatio lucis, quia privatio pendet ex habitu in cognitione: ergo prius quam intelligatur in Petro carentia Pauli, intelliguntur Petrus, & Paulus: ergo intelliguntur duo: ergo distincti distinctio est ratio quæ eam negationem: igitur distinctio est ratio quæ una res est aliud ab alia, v.g. quia Petrus est alius à Paulo, ex qua alicuius sequitur in Petro negatio Pauli, quod autem Petrus, & Paulus intelligantur ante negationes ad invicem sic, probatur, quia Petrus intelligitur ante negationem fundatam in Petro, quia Petrus est subiectum negationis propterea, sed subiectum est prius formalitate subiecta in ipso: ergo Petrus est prior negatione in se fundata respectu Pauli, & idem est de Paulo respectu negationis Petri in se subiecta: ergo si in eodē instanti simul, (qui est casus nostri argumenti) producantur Petrus, & Paulus simul intelliguntur secundum duas entitates: sed illæ entitates ex eo quod sint duæ erunt sine dubio distinctæ, quia statim ac producantur, producantur duæ: ergo actu distinctæ, sed non distinctæ actu per suas entitates, cum propriæ entitates sint absolutæ, & quoties distinctæ actu non sint absolutæ, & in ordine ad se: sed in ordine ad alteram, unde, ut distinctæ actu erunt relatæ: ergo distinctio qua formaliter constituuntur, erit relatio formaliter, unde si prior naturæ, quo producantur simul ut duæ entitates

Quaest. I. In quo consistat distinctio &c. 341

ritates producantur, ut actu distinctae: ergo pro illo priori reperitur relationes distinctionis actu in illis, ante omnem negationem, sicut pro illo priori cognoscuntur illae duae entitates ut convenientes essentialiter actu constitutae relationibus convenientiae ante omnem aliam negationem; in secundo signo resultat negatio alicuius, unde prius resultat in entitatibus Petri, & Pauli relationes identitatis, & distinctionis, quam resultent negationes alicuius ad invicem: ergo illae entitates constituentur formaliter in esse distinctae, non per negationem subsequentem identitatis, sed per relationes, iam antea, & prius ipsa negatione identitatis resultantes. Patet haec consequentia, quia ideo adversarij ratione ea quam fundamentalem vocabant sibi videbantur demonstrare distinctum constitui formaliter non per relationem, sed per negationem, quia tali ratione putabant probare negationem identitatis esse priorem relatione distinctionis: sed nunc à me demonstratum manet relationem priorem esse ipsa negatione identitatis in subiecto distincto: ergo sine dubio demonstratum manebit relationem distinctionis esse formale constitutivum distincti in quantum distincti, & non negatione identitatis.

37 Confirmatur evidenter haec veritas, quia in sententia P. Suarez, cum quo in hac repugnamus, relatio distinctionis sicut relatio convenientiae, quae immediate in substantia Petri fundatur in ordine ad substantiam Pauli est idem realiter cum substantia Petri, sicut relatio distinctionis fundatur in substantia Pauli, quae refertur illa substantia Pauli ad substantiam Petri, tanquam ad terminum distinctum à se, identificatur cum substantia Pauli, & minime distinguitur à parte rei ab illa nec modaliter, nec realiter; unde tam relatio distinctionis, quae est in Petro respectu Pauli, quam relatio, quae est in Paulo respectu Petri, sunt idem à parte rei formalissime, & omnino; cum substantia Petri, & cum substantia Pauli: ergo in omni signo reali quo sunt entitates Petri, & Pauli, sunt etiam simul relationes, quae fundantur in ipsis entitatibus immediate, sine aliqua prioritate, & posterioritate reali, nec naturae, nec durationis inter substantias illas, & relationes, quia idem non est prius, & posterius respectu sui; atqui substantia Petri, & substantia Pauli distinguuntur à parte rei à negationibus identitatis, quae fundantur in ipsis entitatibus tanquam positiva entitas à negatione reali, quia eadem entitas non potest esse à parte rei positivum, & negatio, ex alio autem capite tales negationes subiectantur à parte rei negative in illis entitatibus positivis, ex illis quae resultant, vel quasi dimanant formaliter à parte rei, sicut caecitas resultat in oculo, dependetque in esse, & fieri, & conservari huiusmodi negationes à substantia Petri, & Pauli eo modo, ac caecitas dependet ab oculo, ratio enim formalis quae subiectatur in aliquo subiecto à parte rei dependet necessario, & simpliciter à subiecto in quo fundatur: ergo tales substantiae sunt suo modo causae reales saltem negative illarum negationum, & negationes sunt effectus illarum à parte rei, quia ut patet ex dictis in physicis, causa realis est illa, à qua dependet à parte rei effectus, & effectus, qui dependet à parte rei à causa, quod quidem latissime demonstravi mus ibi; sed omnis causa eo modo, quo causa est est prior realiter suo effectui prioritate naturae:

ergo substantia Petri, & Pauli sunt priores realiter naturae negationibus identitatis subiectatis in ipsis: ergo etiam relationes, quae fundantur in illis entitatibus erunt priores realiter naturae negationibus identitatis. Patet haec consequentia, quia tales relationes sunt substantia Petri, & Pauli cum identificentur omni modo cum illis, & minime ab illis distinguantur, sed substantia Petri, & Pauli, ut evidenter demonstratum manet, sunt priores realiter illis negationibus: ergo similiter relationes erunt priores realiter illis, siquidem tales relationes sunt substantia Petri, & Pauli: deinde idem non potest esse à parte rei prius, & posterius respectu eiusdem, nec prius, & simul in ordine ad idem; sed substantia Petri, & Pauli sunt priores realiter negationibus identitatis, & relationes sunt idem cum talibus substantiis; ergo tales relationes nec possunt esse simul cum negationibus realiter, nec posteriores realiter ipsis negationibus; ergo debent necessario esse priores realiter negationibus, quia inter prius simul, & posterius non est medium; sed tales relationes non possunt esse simul cum negationibus, nec posteriores illis realiter; ergo necessario debent esse priores illis realiter: ergo tales relationes formaliter constituent substantias Petri, & Pauli actu, & formaliter distinctas in esse distinctarum; ergo tales relationes sunt formaliter distinctiones actu.

Dices, non esse Paulum esse formaliter distinctum à Paulo: ergo distinctio est negatio, negatio antecedens, quia non esse Paulum est negatio consequuta in Petro ex alietate à Paulo, praesuppositiva autem dicitur esse idem distinguere ab alio, & non esse idem cum illo, tum quia distinctio praesupponitur illi negationi, tum quia distinctio explicatur per eam negationem; alietas enim est, vel duae res ad invicem se respicientes, vel una respiciens alteram tanquam ad terminum distinctum à se, ex eo enim precise, quod duae entitates producantur constitutae proprijs differentijs individualibus, immediate fundant in suis entitatibus relationes, sine eo quod praecedat aliqua negatio ut se respiciant, tanquam duae res distinctae inter se, sicut v. g. ex eo quod duae entitates producantur sine expectatione alicuius negationis solum, quia constituuntur rationibus communibus, v. g. eo precise, quod Petrus & Paulus producantur constituti animalitatibus, quae sunt praedicata convenientiae inter illos, sine expectatione alicuius negationis resultant statim in illis relationes convenientiae, vel identitatis: ergo similiter ex eo quod Paulus, & Petrus producantur constituti proprijs differentijs individualibus, ratione quarum distinguuntur realiter, resultabunt in illis sine dubio immediate sine expectatione negationis identitatis relationes distinctionis, ad quarum resultantiam, vel emanationem dabuntur negationes identitatis inter utrumque; unde aut tales negationes erunt posteriores relationibus distinctionis, & sic subiecta praesupponentur constituta ut distincta actu formaliter per tales relationes ante negationes identitatis, quod est certum in sententia P. Suarez, ut patet ex argumento nuper facto, quia Suarez relationem asserit identificari cum suo fundamento, quod negat de negatione identitatis; idem enim non potest esse positivum, & negativum à parte rei, aut minimum relationes distinctionis erunt simul, & minime posteriores negationibus, quia non est maior ratio,

ratio, quare negatio sit prior relatione, siquidem utraque fundatur immediate in substantia sine interventione alterius, unde in eodem signo resultant in substantia Petri, & Pauli: ergo supposita similitudine illarum necessario fatendum est præcipuum primum, ac formale constitutum distincti, in quantum distincti esse relationem distinctionis, & non negationem identitatis, & ratio evidens à priori est, quia quando duo simul concurrant ad constitutionem alicuius, illud erit principaliter primum, & formaliter constitutum, quod habuerit principaliter, perfectiorem, & excellentiorem rationem essendi, quia cum talia per suas ipsas entitates constituent, illud erit primum, ac principaliter constitutum, quod constituerit per esse principaliter, perfectius, ac nobilius esse, cum natura quæ tribuit tale esse non tribuerit, nisi ut sit constitutum: ergo si tribuit perfectius esse tribuit illud, sine dubio esset perfectius, ac principaliter constitutum, alias natura sibi ipsi contradiceret secumque pugnaret, quod est summe absurdum: totum hoc exemplo manifeste illustratur, quia materia prima, & anima rationalis concurrunt simul ad constitutionem hominis, & anima rationalis habet perfectius, & excellentius esse materię primæ, ideo est perfectius, ac principaliter, & primum constitutum hominis, & materia prima est imperfectius constitutum illius, quia, ut dixi natura quæ illi tribuit suum esse non tribuit illud eis, nisi ut essent constitutiva hominis: tum sic, sed relatio distinctionis est positiva entitas realis, & negatio identitatis est negativa ratio, & positiva est perfectior nobilior negatione, & primaria respectu illius, & ambæ simul concurrunt ad constitutionem distincti in quantum distinctum est: ergo positiva entitas relationis distinctionis principaliter, ac perfectius constituit illud in esse distincti actualis, ac formalis, quam negatio identitatis: sed distinctio actualis, & formalis est principaliter, formaliter, perfectius, ac primum constitutum distincti in quantum distinctum, sicut albedo est constitutiva albi, & divinitas Dei: ergo relatio distinctionis est distinctio formalis actualis, & non negatio identitatis.

39 Tercio principaliter sic probatur, ad hominem contra adversarios, quia ideo ipsi asserunt distinctionem actualem non esse relationem, sed negationem, quia dicunt distinctionem actualem esse attributum entis quod non potest esse relatio actualis: sed falsum est dicere quod distinctio actualis, & formalis realis sit attributum entis, & ut sic, & secundum se: ergo falsum erit etiam dicere distinctionem actualem non esse relationem, sed negationem identitatis: maior est argumentum adversariorum, minor sic demonstratur, quia omnia attributa entis conveniunt enti, ut sic, & constituent illud formaliter in esse talis, quia attributa, & proprietates conveniunt essentis secundum se, & ut sic, ipsæque constituent in esse attributali formaliter, & ideo homini convenit risibilitas, secundum se, & ut sic, ipsumque constituit in esse risibilis formaliter, & idem est de inhilabilitate respectu equi, ut sic, & de rugibilitate respectu leonis, secundum se.

40 Clarius, quia bonitas, veritas, & unitas sunt attributa entis, conveniunt illi secundum se, & ut sic ipsumque formaliter constituent in esse unius veri, & boni, & ut cum D. Thom. loquar in puriori statu conveniunt enti præciso, quam dum

est contractum, ex alia parte, quia ratio causæ ratio Patris, Filij, &c. creaturæ, & creatoris, substantiæ vel accidentis non conveniunt enti, ut sic secundum se, & quatenus præcisum est ab omni ente positivo, quia illa ratio entis ut sic positivi, cum sit suprema in illo esse, debet necessario præscindi ab omnibus illis, & non coniunctum cum illis in illo statu præcisionis, alias esset præcisum, & non præcisum ab eis, & esset ens ut sic, & non ens ut sic, quia tales rationes non sunt attributa realia entis ut sic, sed potius sunt inferiora illius, nam si essent attributa realia semper comitarietur ens eique semper convenirent, ut ei conveniunt ipsique comitantur veritas, bonitas, & unitas, quæ sunt vera attributa illius, sive in statu præcisionis per intellectum, sive in statu contractionis, & identitatis à parte rei: imo si in aliquo statu illorum entis non convenirent, non essent vera attributa illius, quia attributum est inseparabile ab essentia cuius attributa sunt, si vel per intellectum complere essentia compleatur vel illa à parte rei existat, divina enim essentia, nullo modo potest existere à parte rei sine attributis misericordiarum, bonitatis, &c. & si ipsa divina essentia adæquate, & complete concipiatur, necessario debet concipi cum ipsis attributis, quod similiter contingit in essentia entis, ut sic, quæ si essentia entis ut sic adæquate, complete, integre, & secundum omne, quod debetur essentia concipiatur, necesse est ut cum omnibus attributis cognoscatur, sed distinctio realis nullo modo conveniunt ut sic secundum se, & in statu præcisionis, & quatenus est ens, ut sic, nec illud constituit in esse actu realiter distincti ipsa distinctio: ergo distinctio non est attributum entis realis, ut sic: hæc minor sic probatur, quia distinctio actualis, formalis, realis, non est in ordine ad se, nec absolute convenit rei, sed necessario in ordine ad alterum ens, actu, & realiter existens, sed respectu entis ut sic secundum se, non datur ens actu existens, à quo distinguatur ipsum ens realiter actu, quia ut supra disp. de ente, & in tractatu de Universalibus, demonstratum manet, contra Scotum, & maxime assertum, & acceptum ab adversariis ens ut sic identificatur omnimodo, sine aliqua distinctione, aut ex natura rei, aut realiter, aut modaliter cum omni ente reali particulari, quia omnia illa transcendit usque ad ultimas differentias, & de eis vere, & realiter prædicatur: ergo ens, ut sic secundum se non est à quo possit realiter distinguui, siquidem cum omni ente identificatur, ut dixi: ergo in ente, ut sic nulla est distinctio realis actualis, quia quando est impossibilis potentia seu capacitas in aliquo subiecto, etiam est impossibilis actus debitus vel correspondens tali capacitati, seu potentia, v. g. quia impossibile est quod Deus possit peccare, impossibile est Deo actus peccandi, & quia impossibile est capacitas distinctionis realis in Deo, inter divinam essentiam, & attributa absoluta, impossibile est distinctio actualis realis inter illa: ergo si ens ut sic non potest distinguui, & ipsi est impossibilis capacitas distinctionis realis ab aliquo ente, illi erit impossibilis distinctio realis actualis ab aliquo ente; unde nullo modo dabitur in ente ut sic secundum se, nec ipsi poterit illo modo realiter convenire distinctio realis actualis: ergo talis distinctio actualis realis non est attributum entis, ut sic secundum se, distinctio enim potius convenit entibus particularibus in ordine ad alia entia particularia, non ex eo quod entia sunt

sint præcise, propter rationem entis; sed propter coexistentiam inter se, sicut ratio similitudinis, dissimilitudinis, convenientiæ, disconvenientiæ æqualitatis, inæqualitatis, ratio causæ, & effectus, ratio mensuræ, & mensurabilis, quæ rationes minime sunt attributa entis ut sic, quia sequuntur entia particularia, quatenus talia sunt, vel ratione coexistentiæ inter se, vel propter actionem, & passionem, quæ inter se exercent, vel quia habent prædicata eiusdem rationis, vel diversæ, quibus maxime assimilatur distinctio realis actualis, quia convenit entibus particularibus ex eo, quod actu coexistentia constituta proprijs differentijs particularibus; unde certissime asserendum est distinctionem realem formalem actualem, non esse attributum entis; ergo bene poterit esse relatio, siquidem totum argumentum Adversariorum in hoc solum fundabatur, seu innitebatur ad asserendum distinctionem actualem non posse esse formaliter relationem, quia distinctionem affirmabat esse attributum entis, quod nullo modo potest esse relatio actualis.

41 Confirmatur hoc totum retorquendo argumentum Adversariorum.

42 Primo, quia ens in quantum ens non determinat coexistentiam alterius, sed ab illa præscindit: sed distinctio actualis formalis necessario requirit coexistentiam alterius sine qua non posset illo modo esse distinctio actualis; ergo distinctio actualis non consequitur ad ens in quantum ens; ergo non est attributum entis, quia attributum sequitur ens ut sic. Maior est evidens, quia ens in quantum ens nominaliter importat primario negationem postea explicandam, secundario non repugnantiam ad essendum, & participat ipsum esse sive quodvis aliud existat sive non: consequentia non est minus evidens, quia distinctio actualis formalis, ut ipsi adversarii fatentur, requirit existentiam sui termini, sed ens in quantum ens præscindit ab existentia alterius: ergo præscindit distinctione actuali: ergo distinctio actualis non consequitur ad ens in quantum ens; quia quod præscindit à necessario requisito distinctionis, non potest determinare distinctionem, sed ab ea etiam debet præscindere necessario; secundo quod consequitur ad ens in quantum ens cuicunque enti in quocunque statu debet convenire: sed distinctio actualis formalis non conveniebat Deo in quantum Deus est ab æterno, quia ab æterno nullum erat à quo distingueretur Deus ab æterno: ergo distinctio non consequitur ad ens in quantum ens; ergo distinctio non est attributum entis.

43 Tertio sic probatur idem, quæcumque passio, seu attributum connaturaliter dicitur de suo subiecto, sed distinctio actualis formalis non dicitur connaturaliter de ente, sed omnino extranee, & contingens; ergo propterea non est passio entis; maior est certa, & satis nota: minor est evidens, tum quia distinctio actualis formalis est accidens commune, tum quia enti in quantum ens, contingens est quod habeat alterum sibi coexistens; ergo contingens est ipsa distinctio actualis, quia distinctio non est nisi posita existentia termini.

44 Quarto, & ultimo principaliter sic argumentor, vera actualis, & formalis distinctio, quia in divinis una persona realiter, & vere distinguitur ab alia non est negatio identitatis, sed vera, & realis relatio, quæ proprietas personalis est: ergo similiter in creaturis distinctio actualis formalis

non erit negatio identitatis, sed relatio, & respectus in ordine ad alterum; antecedens est certum; & probatur primo ex Concilio Lateranensi in capite Firmiter, ubi hæc habet, hæc sancta Trinitas secundum communem essentiam una, & secundum personales proprietates discreta, hoc est secundum relationes constituentes personas distincta, id est tota distinctio in Trinitate sumitur à relationibus, quid clarius potest excogitari, consonat huic loco axioma illud satis tritum, ac receptum inter Theologos prolatum, ut communiter fertur à D. Gregorio Theologo, in divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio, quibus verbis aperte asseritur totam rationem distinguendi personas divinas esse relationem, quia divina illa natura sumat identitatem habet in suis prædicatis proprietatibus, & attributis exceptis his rationibus, & proprietatibus inter quas agere intercedit oppositio relationum; quare ratio formalis distinguendi unam rationem ab alia in divinis solum est relatio realis: hæc sententia inter omnes Patres, tam Græcos, quam Latinos, nam Zophronius in sua epistola ad 1. 6. synodi, relationes divinas alteritates vocat, & alteritates proprietates, quæ inconfuse unamquamque significat penes, nam Nicephorus etiam Episcopus in Concilio Ephesino, tom. 5. cap. 2. vocat proprietates distinctivas personarum; idem fere habet Ioannes Theologus in Concilio Florentino, sessio 18. Nazian. orat. 19. in sancta Trinitate vocat has proprietates discretivas personarum, multa similia habet Basiliius passim per omnia opera sua, & lib. 2. contra Eunomium, circa finem addit Deitatem esse communem, Paternitatem autem, & filiationem esse proprietates, alteritates personarum, & Cyprianus de Cardinalibus Ch. isti operibus, cap. de nativitate Christi, circa finem, dicit Christum vocari magni Concilij Angelum, quia generationis & processionis intimas rationes revelavit, subtiliter adstruens personarum proprietates discretivæque relationes, & indissolubilis essentia unitatem; Damascenus multus est in hac re lib. 1. cap. 9. & 10. ubi interpres vertit innascibilitatem vocat ingignentiam, addens gignentiam, & processionem; ac denique dicit personas esse discretas caracterismo propriæ hypostasos, similia legi possunt in Athanasio in lib. de relictæ fidei dogmatibus. Tertulianus, lib. contra praxeam cap. 2. Richar. de S. Victor, lib. 1. de Trinitate, cap. 18. & Aug. in libris de Trinitate passim, & ratio evidens est, quia omnis distinctio opponitur suo modo identitati; unde in ea ratione, qua datur identitas tam formaliter, quam virtualiter non potest dari distinctio, sed divinæ personæ in ratione essentia identificantur; ergo in ratione essentia non possunt distinguui: sed propter essentiam non est aliud per quod formaliter distinguantur, & per quod in esse distinctarum divinæ personæ constituantur formaliter, nisi relationes divinæ: ergo relationes divinæ sunt actuales, ac formales distinctiones in divinis; deinde, quia id per quod distinguitur ab alio debet esse proprium illius, quod distinguitur, sed sola proprietas relativa est propria personæ, essentia enim communis est omnibus: ergo sola relatio esset distinctio actualis. Tandem, quia si in divinis ipsæ relationes constituentes personarum non essent distinctiones reales, darentur aliæ relationes præter quatuor, nam necessario daretur in illis relatio distinctionis, quæ vera, & realis relatio esset;

nam

nam Pater quatenus talis vere, & realiter distinguitur à filio: atqui distinctum, vt distinctum est ad alterum: ergo distinctum, vt distinctum est relatum; vnde distinctio quæ est in Patre æterno erit relatio ad Filium, cum relatio sit tota ad alterum, & distinctio similiter: ergo si distinctio respectu filij non est relatio ipsa paternitatis erit alia relatio, & si filiatio non est distinctio respectu Patris in filio, dabitur alia relatio in filio, & sic in Spiritu Sancto; vnde iam plures quatuor erunt relationes, & hæc est ratio, quæ movet Theologos sequentes Magistrum sententiarum, in 1. & D. Thom. 1. *part.* ad asserendum distinctionem in divinis esse realem relationem non distinctam à quatuor, quod vt commune assertum Theologorum his verbis asserit P. Suarez lib. 3. *de relationibus divinis*, quod etiam de relatione distinctionis est manifestum, quia est eadem cum relatione oppositionis, quæ non est nisi relatio originis: vnde si fide tenendum est non dari plures quatuor relationes in divinis sine dubio asserendum est distinctionem esse relationem, non quidem distinctam à relatione originis sive sit paternitas sive filiatio, &c. hanc nostram sententiam aperte tueretur verbis clarissimis D. Thom. *quest.* 49. *art.* 2. *in corpore*, vbi sic ait; in persona autem divina non est aliud intelligere nisi essentiam, & relationem sive proprietatem, vnde cum in essentia conveniant, relinquitur quod per relationes personæ ad invicem distinguantur.

45 Dices: ergo si persona divina ab alia distinguitur per relationem, & non per negationem identitatis, sequitur manifeste Deum etiam distinguere à creaturis realiter, non per negationem identitatis, sed per relationem: atqui hoc est falsissimum, quia Deus nullam dicit relationem realem ad creaturas: ergo similiter erit falsum, quod vna persona distinguatur ab alia per relationem, & non per negationem identitatis.

46 Sed contra, quia non bene colligitur vna persona dicit relationem distinctionis ad aliam, vel distinguitur ab alia per relationem: ergo similiter dicit relationem distinctionis Deus ad creaturas, vel distinguitur ab illis per relationem, sicut non bene valet Pater in quantum principium productivum Verbi divini referretur ad Verbum divinum per veram, & realem relationem, & idem est de Patre, & Filio respectu Spiritus Sancti: ergo similiter Deus in quantum principium productivum creaturarum poterit referri relatione reali ad illas, hæc enim consequentia est falsissima: ergo etiam prima de distinctione erit falsa, ratio autem discriminis manifesta est, quia vt latissime probavimus in proœmiis Metaphysicæ, id quod est superioris ordinis non potest referri vera, & reali relatione formali ad id quod est inferioris ordinis, cum autem Deus sit superioris ordinis respectu creaturarum, non poterit dicere relationem realem ad illas, sive convenientiæ, sive distinctionis, distinctio enim ex parte Dei ad creaturas non est relatio formalis, sed eminentialis; aut æquivalens, vt in calce huius questionis explicabitur, quæ supplet vicem relationis formalis, Deus enim propter rationem dictam incapax est relationis ad creaturas, & ideo licet habeat rationem convenientiæ distinctionis principij, &c. respectu creaturarum, & hæc rationes in creaturis sint relationes formales, in Deo autem sunt relationes eminentiales propter imperfectionem terminorum creatorum, ad quos non poterit villo modo ordinari Deus, ordinari enim est proprium inferioris respectu superioris vel æqualis respectu alterius qui æqualis sit illi, propter primam rationem creaturæ ordinantur ad Deum, propter secundam ordinatur vna persona divina ad alteram in quantum distincta ab illa, vel in quantum principium producat, vel terminus productus ab alia.

Ex quibus colligitur evidenter bene posse vnam personam ordinari ad aliam in quantum distinctam vera, & reali relatione, non vero Deum ad creaturas, quia nullo modo est inferioris ordinis respectu illarum, nec æqualis cum illis, quæ sunt rationes fundandi relationem in aliquo subiecto: sed potius est superioris ordinis quod est maximum impedimentum, ad hoc vt vera & reali relatione respiciat creaturas, vt patet ex supra dictis, quia non est maior ratio, quare in divinis vna persona divina distinguatur ab alia per relationem, & non in humanis vna persona creata distinguatur ab alia per relationem distinctionis.

Deinde, quia ideo vna persona divina distinguitur ab alia actualiter per relationem, quia conceptus distinctionis est ad alterum, & id quod ad alterum est, est relatio: sed etiam distinctio actualis in creatis est ad alterum: ergo distinctio in creatis est relatio, sicut in divinis. Præterea, quia quod vna persona distinguatur ab alia per relationem, non provenit illi immediate ex infinitate, sed potius, quia vt dixi tota ratio distinctionis est ad alterum, nam nullo modo splendet, ac lucet infinitudo in hoc quod vna persona actu distinguatur ab alia formaliter per relationem, infinitudo enim divinæ illius maiestatis radiat, ac fulget in unitate essentiae cum Trinitate personarum, non autem formaliter ex eo, quod distinctio sit relatio, vel absolutum, sicut non provenit immediate ex infinitate, quod persona producat referatur ad productam, cum etiam in humanis persona producat referatur relatione vera, & reali ad productam, quia hoc potius immediate, & formaliter oritur ex eo quod producat vt producat sit ad alterum; vnde relativum necessario sit, vel non sit infinitum producat: ergo similiter, quod vna persona distinguatur ab alia per relationem, non est immediate, ac formaliter ex eo quod infinita sit: sed potius ex eo quod distinctum, vt distinctum, quatenus tale est, est ad alterum, & sic necessario relativum sit vel non sit, infinitum vel finitum distinctum: sed creatura distinguitur vere, & realiter ab alia: ergo quatenus talis est ad alterum: ergo relativa sit, vel non sit, finita vel infinita.

Tandem, quia gradus existens in Deo distinctionis participatur à creaturis, omne enim quod est in creatura est participatum à Deo: ergo si creatura habet veram, & realem distinctionem: ergo habebit illam participatam à Deo: ergo debet participare illam in eo gradu in quo est in Deo, v. g. quia in Deo datur subsistentia, & ratio substantiæ, & in Deo substantia est ens per se, & subsistentia est ratio subsistendi per se, & in se eo modo participatur à creatura, nam substantia in creatura est ens per se, & subsistentia est ratio subsistendi per se, & in se, & qui creatura

Quæst. I. In quo consistat distinctio &c. 345

tura participat à Deo gradum intellectualem, & in Deo est gradus spiritualis, & non materialis, eodem modo est in creatura, à qua participant; nam est gradus spiritualis, & non materialis: sed à Deo participat creatura distinctionem formalem actualem; & in Deo talis distinctio est relatio actualis: ergo distinctio in creatura participata ab illa erit relatio formalis.

48 Secunda pars conclusionis sic probatur, nam duplex est relatio, alia eminentialis, seu æquivalenter, alia formalis, & prædicamentalis; relatio prædicamentalis, & formalis habet imperfectionem tum in se, tum in sua radice, seu fundamento in se, quia est accidens, & quia dependet, & specificatur à suo termino in sua radice, & fundamento, quia id quod dicit relationem prædicamentalem ad creaturas debet mutari intrinsece, quia cum talis relatio non semper existat dum existit fundamentum, sed de novo adveniat ad productionem sui termini, quia ab illo dependet essentialiter ut diximus; inde evenit, ut fundamentum ante suum terminum existenti dum producit terminum, addatur de novo entitas accidentalis relationis intrinsece; Deus autem, cum sit incapax ob suam infinitam perfectionem, & eminentiam simul cum infinito dominio perfectissimo, quod circa omnes creaturas habet, & propter summam, ac infinitam excellentiam illius divinæ maiestatis necessario incapax est additionis intrinsece accidentalis; & non solum mutationis vere: sed etiam vicissitudinis obumbrationis, ut ait Iacobus in sua epistola canonica, ac propterea non est, nec potest esse capax relationis prædicamentalis formalis; loquor enim de propria relatione prædicamentali, non de ea, quæ improprie dicitur talis, ut est relatio spiratoris activi in Patre, & filio, quæ ad hoc ut distinguatur à relationibus substantialiter, & intrinsece constituentibus, personas in quantum tales solet vocari improprie prædicamentalis; unde licet omne conveniens diversum, & causa creata, & dicant relationem formalem prædicamentalem de primo, & secundo genere relationis; nihilominus Deus, qui proprie diversus actualiter est, & causa propria omnium creaturarum; imo omnium prima, & licet proprie, & æqualiter conveniat cum creatura, in esse entis, & substantiæ, quia talis convenientia est univoca, non est capax relationis prædicamentalis, sed per suum infinitum, ac eminentissimum esse, quod purissimus actus est, & quod æquivaleret cuicunque relationi creatæ, diversus conveniens, & causa propria est, & etiam est præsens actualiter in creatura propriissime, non ut creatura per modum superadditum: sed per eminentissimum esse æquivalens cuicunque præsentia creatæ, sic similiter est distinctus propriissime intrinsece actualiter à creaturis existentibus, non per relationem actualem formalem, ac prædicamentalem: sed per relationem æquivalenter, aut eminententer, id est per quoddam esse infinitum eminententer continens omnes relationes formales prædicamentales, æquivalentesque relationi formali distinctionis, quæ æquivalentia relatio secundum dici solet vocari, & sic sine ulla imperfectione, & additione habet Deus quod creatura cum imperfectione, & additione relationes reales prædicamentales habent, proprium enim divinæ maiestatis est, ut habeat, cum summa actualitate, & perfectione id, quod creatura non

R. P. Ideph. de Peñafiel, Theol. Schol. Tom. I.

posset habere sine imperfectione, & potentialitate: item constituitur Deus in esse intrinseco actuali, sive amanti, sive intelligenti, sive præsentis, sive distincti, sive convenientis de novo sine aliqua mutatione, & additione intrinseca reali, cum in tali esse nulla creatura possit constitui intrinsece sine additione, & mutatione intrinseca de novo; creatura enim propter suum esse potentiale, & limitatum non potest transire intrinsece de termino contradictorio intrinsece negativo ad terminum contradictorium intrinsecum positivum, sine additione intrinseca de novo illius formalitatis ad quam transit, v. g. aer, qui antea non erat lucidus, & nunc redditur lucidus, redditur talis additione intrinseca reali lucis; ad quam transit, & Angelus qui non intelligebat, & nunc intelligit, mutatur intrinsece, & idem est in amore, & cæteris constitutionibus; aliter enim hoc contingit in æterni numinis Maiestate, ac in supremo, & infinito divinitatis esse, quod propter summam, ac purissimam actualitatem, propter infinitum ac illimitatum esse, propter infinitum, perfectum, ac plenissimum dominium quod habet circa creaturas, potest transire de termino intrinseco contradictorio non præsentis in aliqua creatura actu, ad præsens intrinsece in illa sine aliqua mutatione intrinseca per solum positionem extrinsecam creaturæ actu existentis, quæ antea non existerat, & idem est de actuali convenientia cum creaturis, de scientia visionis circa illas, de odio circa peccatores, & amore circa iustos; unde in hac materia non bene valet argumentum de Deo ad creaturam; nec è contra, quia in creatura non est infinitudo, eminentia, summa ac infinita actualitas, ratione quorum Deus potest in tali esse actualiter constitui, in quo non possunt constitui creaturæ sine additione, & mutatione, quibus caret Deus in sua perfectissima constitutione actuali, quod quid mirum si deficient in creatura tales excellentiæ, & perfectiones, ad quas sequitur constitutio illa, sine mutatione, & additione reali.

SECTIO ULTIMA.

Argumenta Adversariorum facillimo negotio dissolvuntur.

AD locum Aristotelis, respondeo Philosophum nunquam in diversitate, sed in numero in 5. Met. cap. 15. fundamentum relationis primi generis colloasse; in prædicamento autem ad aliquid in Logica, aliquomodo insinuat relationem illius generis in diversitate fundari: sed non est hoc ita intelligendum, ut diversitas ipsa formalis actualis sit fundamentum relationis; nam ipsa diversitas formalis actualis, quæ una res actu constituitur formaliter diversa ab alia, relatio formalis est, quia est ad alterum actu existens, quæ est tota essentia relationis prædicamentalis, & sic non potest esse fundamentum de quo loquimur; tum quia apud plures ex adversariis tanquam certissimum habetur unam relationem non posse fundari in altera; unde si diversitas actualis est relatio formalis, non poterit esse fundamentum relationis distinctionis, tum etiam quia hic querimus de primo fundamento relationum diversitatis, quod si diversitas formalis actualis est, sine dubio relatio erit formalis, atque adeo

X x præsup

præsupponet sine dubio fundamentum, quia nulla relatio sine fundamento est; unde talis diversitas formalis non erit primum fundamentum, de quo quærimus, siquidem ut diximus iam præsupponit aliud potius ante se, de quo iterum quæro an sit relatio; si relatio, iterum præsupponet aliud fundamentum, & sic procedetur in infinitum; si non est relatio formalis: ergo non est diversitas actualis formalis, quia talis diversitas formalis relatio est, cum tota sit actualitas ad alterum actu existens, nullum enim respectu sui ipsius diversum est; quid ergo erit illud primum fundamentum relationis, diversitatis, aut distinctionis; siquidem non est diversitas formalis, & actualis, nec distinctio formalis actualis: Certe in sententia Aristotelis nihil est, nisi entitas Petri, v.g. constituta propria differentia individuali per quam distinguitur à quacunque alia coexistens cum entitate propria Pauli similiter constituta propria differentia individuali, itaque fundamentum relationis distinctionis, quæ fundatur in Petro nihil aliud est nisi entitas Petri, quatenus talis entitas est habens pro suo termino actu existente entitatem Pauli, quatenus tali individuatione constituitur; unde distinctio illa formalis, quæ relatio est, resultat in Petro, & terminatur ad Paulum quatenus talis est, scilicet quatenus non est Petrus, & sic entitas Pauli ut sic est distinctio fundamentalis; relatio autem resultans in Paulo, quatenus talis, est distinctio formalis actualis; unde falluntur sine dubio adversarij asserentes secundam relationem primi generis fundari in distinctione formali actuali; alias idem fundaretur in seipso realiter, asserendum igitur secundum genuinam mentem Aristotelis est distinctionem formalem actualem fundari in distinctione fundamentalis, sicut v. g. relatio oppositionis formalis, quæ vera formalis actualis oppositio est, non fundatur in oppositione formali actuali, sed potius in oppositione fundamentalis, v.g. in essentia caloris, quatenus constituitur tali differentia essentiali, ratione cuius habet aptitudinem, ut expellat frigiditatem ab eodem subiecto, & naturam repugnantem entitati frigiditatis.

Hoc totum evidenter convincitur ex verbis ipsius Aristotelis assignantis aliud fundamentum relationis primi generis, nam Aristoteles ait, primum genus relationis fundari in unitate, & numero, ita ut relationes identitatis, similitudinis, & æqualitatis fundentur in unitate, relationes autem distinctionis fundentur in numero, ac diversitate: atqui illud fundamentum quod unitatem vocat Arist. non est formalis unitas, sed solum fundamentalis; nam relatio identitatis, quæ datur inter Petrum, & Paulum non potest fundari in vera ac formali unitate inter ipsos, sed solum in unitate fundamentalis, à parte rei enim ut late demonstratum manet *tractatu de Universalibus*, nulla datur unitas vera, & formaliter talis inter Petrum, & Paulum in aliquibus prædicatis essentialibus, quia vere, & realiter in omnibus dividuntur, ac distinguuntur à parte rei, solum enim datur ratio animalis viventis, substantiæ, & entis similis prædicatis eiusdem rationis existentibus in Paulo; itaque inter Petrum, & Paulum solum datur convenientia in illis prædicatis, non autem unitas vera, & formaliter talis, sed solum fundamentalis, & nihilominus de hac loquens Aristoteles, tanquam de fundamento relationis identitatis, ait esse absolute unitatem, cum non sit for-

maliter talis, ut dixi, sed solum fundamentalis unitas; ergo similiter intelligendus est Aristoteles, in eodem cap. & textu, ubi ait, fundamentum relationis distinctionis esse diversitatem, non formalem, sed fundamentalem, quia non est maior ratio, quare unitas, quæ absolute talis vocatur ab Aristotele sumatur pro unitate fundamentalis, & non pro formali ab ipso Philosopho, & quod secundum fundamentum, quod diversitas est, non sumatur ab eodem Philosopho pro diversitate fundamentalis, sed pro diversitate formali; imo ratio ipsa naturalis evidenter concludit diversitatem, quæ est fundamentum relationis distinctionis, non posse esse diversitatem formalem actualem, sed solum fundamentalem, ut patet ex supra dictis.

Ad confirmationem eodem modo respondeo. 49
Ad primam rationem, quæ fundamentalis vocatur ab adversarijs negatur antecedens ad probationem antecedentis, respondeo falsum esse, ut patet ex supra dictis, ideo Petrum, & Paulum se respicere relationibus distinctionis, quia Petrus non est Paulus, ita ut negatio identitatis inter Petrum, & Paulum supponatur ante ipsas relationes distinctionis, potius enim ut patet ex dictis in probatione nostræ conclusionis relationes distinctionis inter Petrum, & Paulum supponuntur ante negationes quam negationes relationibus supponantur; deinde negatur similitudo, quæ ab adversarijs ponitur, quia non eodem modo se habet actio respectu relationis agētis ad passum, sicut negatio identitatis ad relationem distinctionis, imo si verum fatendum est opposito modo se habent, nam actio qua generans producit genitum, est prior ipsa relatione resultante in generante, quia est ratio fundandi illam; at vero negatio identitatis, cum non sit ratio fundandi relationem; non antecedit ipsam relationem distinctionis, sed potius sequitur ad illam, quia resultat ex eo, quod una res est alia ab alia, v. g. negatio identitatis in Patre respectu Filij in divinis, non est immediate respectu divinitatis, nec divinitas est immediatum fundamentum illius negationis; siquidem divinitas identificatur cum Patre, & Filio, & est ratio in qua identificantur ambæ personæ; unde sola relatio paternitatis est ratio distinguendi Patrem à Filio; unde necessario negatio identitatis debet necessario sequi ad relationem paternitatis, quæ vera, & formalis distinctio est, in ipsaque immediate fundari; ergo si distinctio in creatura est participata à distinctione in divinis, & eodem modo est participata negatio identitatis, eodem modo, & ordine participabuntur, ac sunt in divinis quantum capacitas, & imperfectio creaturæ poterunt ferre, sed in divinis, ut dictum est, negatio identitatis sequitur ad distinctionem: ergo similiter in creaturis negatio identitatis sequetur ad distinctionem formalem actualem, quia non est maior ratio unius quam alterius; unde fatendum necessario est aliam esse fundandi relationem non identitatis, id est distinctionis actualis præter negationem, quæ vel est coexistentia duarum entitatum quæ conveniunt proprijs differentijs individualibus, quatenus illis constitutarum; nam hæc est vera causalitas, quia coexistunt duæ entitates constitutis proprijs differentijs individualibus: ergo talis coexistentia est ratio fundandi relationem distinctionis, nec obstat dicere, quod coexistentia est denominatio extrinseca.

Non

Quæst. I. In quo consistat distinctio, &c. 347

51 Non enim hoc obstat, quia etiam actio respectu Patris est denominatio extrinseca agenti, cum actio non subiectionem in agente, sed in passio, & nihilominus est ratio fundandi relationem paternitatis in generante; item coexistentia in duobus locis est ratio fundandi relationem approximati, vel distantis, quæ relationes reales sunt in sententia Adversariorum.

52 Ad confirmationem concedo antecedens, & nego consequentiam, quia ut dictum est non sequitur bene, Deus ab æterno actu non est creatura, Petrus actu non est actu Antichristus: ergo Deus ab æterno actu distinguitur à creatura formaliter, & Petrus actu, & formaliter distinguitur ab Antichristo, quare ut certissimum habendum est ex vi formalis negationis identitatis, rem non esse actu, & formaliter distinctam, licet sit non eadem; unde ad distinctionem requiritur ratio formalis actualis, & non sufficit negatio identitatis.

53 Ad tertium respondeo negando suppositum, nimirum quod aliqua distinctio actualis sit passio entis propter rationes supra dictas in probatione nostre conclusionis; unde hic non possumus quere in hac questione, nec vilo modo, agere de distinctione, quæ sit passio entis, quia si hic agimus de distinctione actuali, & formali, & nulla distinctio actualis formalis est passio entis, ut retorquendo argumentum adversariorum probavimus: ergo nullo modo possumus hic agere de distinctione, ut est passio entis; unde tam suppositum maioris, quam ipsa maior falsitatis vitio laborant. Ad probationem autem maioris, dico quod licet verum sit, quod metaphysicus agat de passionibus entis, dum agit de bonitate, veritate, & unitate, non tamen esse verum semper, & in tota metaphysica agere de passionibus entis, id est non omnem materiam circa quam agit metaphysicus esse passiones entis, nam metaphysicus agit de possibilitate, de existentia, & substantia rerum, quæ non sunt passiones entis; item agit de causalitate causæ, de potentia obedientiali, & alijs, id genus, quæ minime sunt passiones entis, nonne metaphysicus agit data opera de prædicamentis, ubi nulla mentio fit de passionibus entis, & in prædicamentis certe disputat de prædicamento ad aliquid, in quo primum genus relationis est fundatum, inconvenientia vel disconvenientia, quas unitatem, & numerum vocat Aristoteles, relationes enim quæ fundantur in convenientia sunt identitatis, æqualitatis, & similitudinis, quæ vero fundantur in disconvenientia, sunt relationes oppositionis, diversitatis, & distinctionis, quæ maxime distinguuntur licet ab aliquibus distinguantur; nam relationes oppositionis habent pro fundamentis entitates, quæ ex natura sua pugnant inter se, & ab eodem subiecto mutuo se expellunt, ut sunt entitas frigiditatis, & caloris in summo, relationes diversitatis fundantur in entitatibus, quæ in nullo genere conveniunt, ut albedo, & Deus, relationes autem distinctionis sunt, quæ habent pro fundamentis res quæ conveniunt sub aliquo genere, aut specie, ut sunt Petrus, & Ioânes, Equus & homo de his omnibus relationibus agit data opera per se, ac simpliciter metaphysicus, licet non sint passiones entis huiusmodi relationes: ergo bene potest agere metaphysicus per se ac simpliciter de distinctione formali actuali, quæ relatio actualis est, licet distinctio actualis formalis non sit passio entis.

R. P. Ildeph. de Penafiel, Theol. Schol. Tom. I.

tis, quibus corrumpit totum argumentum tertium adversariorum: minor illius, ac tres probationes talis minoris non sunt contra nos, sed potius pro nobis ut patet ex supradictis.

Ad quartum argumentum respondeo similiter 54 illam rationem laborare falsitate suppositi, distinctio enim minime est passio entis, & sic falso supponunt adversarii dum dicunt distinctionem non esse distinctam passionem ab unitate, falluntur etiam ipsi adversarii in antecedenti illius rationis, dum dicunt distinctionem pertinere ad conceptum adæquatum unitatis, unitas enim complete, & adæquate sic debet definiri, unitas est entitas indivisa in se, dum autem dicitur, & divisa à quolibet alio, male procedunt, nam divisio ab alio non pertinet ad unitatem, ut patet ex dictis in tractatu de primo attributo entis, dum autem adversarii dicunt, quod si distinctio sit positivum, non posse esse passionem entis, sibi contrariantur, siquidem in sententia ipsorum, bonitas, & veritas sunt attributa entis, & consistunt in positivo, in quo ab unitate distinguuntur. Tandem falluntur asserendo distinctionem consequi ad ens in quantum ens, ut probatum manet supra in probatione nostre sententiæ, quia si per possibile, vel impossibile daretur unum tantum ens, non esset actu distinctum, & nihilominus haberet veram rationem entis: ergo distinctio, ut distinctio non sequitur ens in quantum ens, nec convenit omni enti, siquidem supra dictum unicum ens nullo alia præter ipsum existente esset proprie ens, aliquodque ubi non conveniret actualis, & formalis distinctio; unde nihil habet illa, ratione cuius possit esse attributum.

Ad ultimum argumentum conceditur maior, 55 & negatur minor: ad confirmationem concedo maiorem, ad probationem nego minorem, quia non est nisi per relationem.

DUBIUM BREVE INCIDENTS.

Quid sit distinctio fundamentalis.

56 Prima conclusio: distinctio fundamentalis, seu potentialis non est negatio, sed ipsa entitas rei explicata per negationem alterius, à quo distinguitur. Probatur sic, quia res per illud idem est apta distingui ab alio, per quod constituitur in suo proprio esse, ut tale est: sed res constituitur in suo proprio esse non per negationem, sed per positivum: ergo distinctio illa aptitudinalis non est negatio formaliter, sed positivum. Maior est axioma apud Authores metaphysicos, quod corroboratur, & tueretur D. Thom. in primo, dist. 5. q. 1. & dist. 26. ubi asserit res à seipsis, & à seipsis formis tam physicis quam metaphysicis, & non per aliud distingui à quocunque, quod sic demonstratur.

57 Primo, nam si sit actualis vel formalis distinctio negatio, ut adversarii asserunt, si sit relatio, ut nostra fert sententia immediate in omnium sententia, fundatur, ac subiectionatur in ipsa entitate rei, sine aliquo medio, nam talis distinctio si sit negatio si sit relatio, convenit rei ex eo, quod talis entitas est: sed talis entitas est non per aliquod medium, sed per suum esse: ergo per suum ipsum esse immediate, ac per se recipit talem distinctionem actualem: ergo per ipsum esse est apta recipere talem distinctionem ac per consequens